DE
LACTATIONE
GRAVIDITATIS TEMPORE
MULIERIBUS CONCEDENDA
EXAMEN PHYSICUM

AUCTORE PHYSICO DOCTORE
JO. BAPTISTA MARIANINI.

TICINI REGII MDCCXCIV.

Cum approbatione.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30374066

INTRODUCTIO.

Errarunt homines, non erravit natura.

Quandoquidem nova saepe, utinam et aeque semper vera in lucem proferrentur. Quae sors meis sit cessura laboribus, veterum observationibus, licet non perinde rationi consonis, bonorum expecto, eorumque neque doctissimorum, neque indoctissimorum iudicium.

Petitur a nuperiorum nonnullis, ut mulieres, licet utero gerentes, bono, ac copioso gaudentes lacte, vegetae, nulla morbosa dispositione detentae, iuniores, mammosae; sanguineae, ubera infantibus admovere non intermittant, donec nil damni inde Matri provenire, nil foetui, nil infanti lactato animadvertant.

Postulatum auctoritate fulcitur, observationibus ab humana specie, nec non e belluarum moribus cum humanis comparatis.

Rem hanc physica dignissimam indagine duxi: tres namque eodem, et uno tempore individuos societati perennandae humanae aeque charos, aleam non sine discrimine ludentes video.

 Quod

Quod non secus me posse praestare sentio, quam Pubertatis examinando nonnulla primo loco phoenomena, cum phoenomenis aetatum 2. Phoenomena graviditatis; 3. Gravidarum lactationis privata damna: 4. Utilitates a gravidarum lactationibus provenientes. Esto itaque, ut inde valeat elucescere qua ex parte veritas exhibeat faxes.

CAPUT I.

De Pubertate Aetatuumque Phoenomenis.

ILlud a natura pene statutum videtur, ut in oeconomia animali, nulla magna mutatio fiat, quin aliqua affectio morbosa antecessa sit, vel comitata. Quod sane verum est, si a teneris unguibus, ad ultimum usque senium progrediamur.

Infantes namque mox, e materno sinu in lucem prolati, *icterici* universim omnes, plus, aut vero minus evadere cum Morganio animadvertit Rosen de Rosen Stein: (*a*) cui quidem *phoenomeno* causam putat laudatus Morganius collocandam esse in mutato humorum circuitu per funiculum umbilicalem vinculo constrictum, atque obseratum; hac enim intercepta via praepeditur affluxus sanguinis *per canalem venosum ad ventrem portarum*, ex quo constricta portarum vena re-

(*a*) *Delle malattie dei bambini cap.* 20. *pag.* 267.

tardat bilis in hepate separationem; hac vero seorsa in circulum flava tingitur universa recens natorum cutis.

Praeterea P. Couper ex eodem Morganio notat plures capitis morbos, colli, nec non pulmonum iis obvenisse, quibus iusto citius obserrata invenit, tum arteriosum ductum, tum et ovale foramen.

Dum autem Infans inde dentitionem molitur: quot non graviora huic eruptioni mala proveniunt: Febres, vomitus, Diarrheae, convulsiones, rachitides. Licet enim rachitide non omnes plectantur infantes eos tamen qui male mulctantur, hanc sibi infelicem evolutionis epocam nancisci colligimus ex Stoll, Rosenstein, Glissonio, Boerhaave, ut taceam coeteros (*b*), inter quos Buchnerum apud Svieten.

Peracta hac dentium prima evolutione, (quae a septimo mense ad biennium peragi consuevit) infantes aetate crescentes per pueritiam ad pubertatem sensim accedentes, et pluribus, notante Hipp. Sect. 3. aphor. 27., eorum morborum, quos iam memoravimus, obnoxios pergunt, atque etiam cerebro, omnium fortasse viscerum primo ultimum

---

(*b*) *Morb. chronic. Stoll Rosen l. c.*
Boherrave §. 1481.
De Glissonio v. Hallen. artic. 151. *synops.*

mum sibi incrementum adscito, sanguis ad caput partialiter redondans fit, copia excedentibus etiam humoribus coeteris. Quo factum, ut Cous Parens sapienter, et vere huic adscripserit profluvia sanguinis e naribus, et febres diuturnas magis.

Neque licet salutarem pronunciet pubertatis epocam, siquidem ea a pluribus morbis immunes, ac liberi evadant pueri, non desunt tamen et morbi huic mutationi peculiares, ac proprii: de quibus antequam verba faciam, mihi expendenda veniunt ea, quae proximius hanc hominis aetatem respicere videntur.

Sane cerebro summum, uti iam innuimus, sibi incrementum adscito, pletoraque ad caput partiali facta, ex qua, vel per subortas febres, vel per sanguinis e naribus profluvia se se expedire moliebatur natura, durioribus inde, uti opinor, factis arteriarum finibus, aliorsum se rapiens cum humorum exuberantia vertit; atque in sequiori sexu mammas, et uterum inveniens partes, neque maximum incrementum adeptas, et novae evolutioni dicatas: mammas utpote loco exterius sitas, nullumque amplificationi obicem exhibentes, uterum, cum vasis foeminarum universim arteriosis, atque potissimum *uterinis* laxioribus, tortuosis, serpentinis a natura factis, uti docent Cel. Wintringham,

Gregory, Caldanius (*c*), in maribus autem genitalia item externo situ, augmenti, ac novae evolutionis capacia; illarum incrementum, ac perfectionem promovere, ac ad finem perducere satagit.

Virginibus interim aeque ac maribus hanc pubertatis aetatem (quae inter duodecimum, et quartodecimum aetatis annum contineri solet) assecutis, maximas oriri in intima,

---

(*c*) „ *Gregory. Cap. XXI. Tom.* 1. „ *Cospect. Medic. Theoreticae pag.* 192. *n.* „ 776. *Faeminis, ait, vero prae visis arteriae omnes capaces & laxae cum venis comparatae observantur: aorta descendens in primis, ejusque rami praesertim, qui ad uterum tendunt, pre ceteris capaces, & laxi sunt. Porro rami arteriarum uteri ampli, flexuosi, serpentini ad congerendum sanguinem aptissimi videntur . . . .*

Ac Caldanius. Instit. Phisiol. p. 428. „ *Anatome manifeste declarat, quae nos docet pelvis ipsius cavitatem foeminas latiorem habere, quam viros & arterias uteri, reliquis servata proportione, ampliores esse, ac debilioribus tunicis praeditas; dum contra venae pro arteriarum ratione sunt minus amplae, & firmioribus, quam in reliquo corpore tunicis instructae.*“

tima aeconomia, tum physicas, tum et morales mutationes, tam notum, quam quod maxime: Pubescere enim utrique pecten, barbam maribus inficere genas, vocisque tonum graviorem fieri: mammas virginibus sororiari, vel paulo ante, vel tunc, cum singulis mensibus periodicum muliebre fluxum sanguineum edunt, animi perinde, ac corporis vires firmiores, mores ad amandum, inque venerem pronos fieri: nervorum, alteriusque etiam generis morbis affici instante pubertatis evolutione; hac ipsa autem assecuta a morbis pluribus immunes fieri, et satis constans observationibus est, et docet satis, humanam sintaxim in nervoso sistemate, in fluidis humoribus non minus, ac in solidis non leviter affici.

Caldanius instit. phisiolog. pag. 428. inquit: „ mammis iam tumidis, et pubis
„ pilis ut plurimum evolutis (quae duo in-
„ crementum, aut fere, aut omnino absolu-
„ tum esse significant), dolores non raro
„ colicorum similes superveniunt, aut certe
„ cum sensu ponderis, ac distentionis in
„ lumborum regione molesto: pulsus fit fre-
„ quens, et corpus incalescit; adeoque febri-
„ cula invadit, quae interdum, aut capitis
„ doloribus adiungitur, aut spasticis affectu-
„ bus, aut exhanthematibus de cute erum-
„ pentibus; et saepe calidus humor prae-

„ ter consuetudinem vagina dimanat. "

Epilepsiam, Choream S. Viti, Melancoliam, tres observationes inter 12 et 14. aetatis annum a me factas, binas priores in puellis, in mare tertiam, huc adferre, neque ad ea, quae mox attulimus vera probanda inconcinnum. Esto.

HISTORIA I.

Anno millesimo septingentesimo, octuagesimo quinto Puella Fradagrada ad decimum tertium aetatis annum perventa (cuius patrua iam triginta annos nata mihi saepe narrare consueverat et sibi olim ad istam aetatem epipleticos supervenisse insultus, a quibus tandem per venae sectiones atque alia remedia menstruis apparentibus sanata fuit); convulsiones pati coepit universales cum internorum, externorumque sensuum ammissione: opem a me postulavit: erat haec laxioris corporis habitus, fluidis humoribus ad frigidum vergentibus: curationem adgressus sum purgatione; inde ad tonica, atque antiepileptica ventum est: balnea frigida: radix valerianae silvestris vix quidquam utilitatis, immo a balneis frigidis quotidiani ei facti sunt insultus, qui dumtaxat semel vel bis per hebdomadam fieri consueverant. Rem ego hac aetatis epoca blandius, ac tutius

tractan-

tractandam ratus, solis ad spinam dorsi potissimum, indeque ad brachia, et crura frictionibus cum panno laneo calido peragendis contentus, ita res bene vertit, ut facta ad cutim rubrarum pustularum eruptione, omnis inde adfuerit convulsionis insultus. Nec tamen inde apparuere menses, puella corporis habitum aliquanto laudabiliorem exhibebat. Verum anni proxime sequentis veris tempore en iterum, qui diu siluerant, nervosi insultus. Vocor ego, balneaque suadens tepida universalia per octo, aut decem dies, perpetuoque siluere insultus. Puella corporis habitum vegetiorem vividioremque sibi acquirebat colorem: menses vero nonnisi fere biennio post manare coeperunt.

HISTORIA II.

Chorea S. Viti.

Puella Seraphini Zemidensis, parentibus corporis habitus malencholici orta, decimum quartum annum agebat, dum verno tempore, anni scilicet 1784. manuum gesticulationes, globi ipsius oculi, necnon labiorum, faciei, linguae affectiones modo clonicas, modo tonicas exhibebat. Mens non satis constans, ad plura licet sapiens responderet. Pedibus fere constanter saltabat, manus modo ad oculos, modo ad

os

os, labia, nasum celerrime ferebantur, ac demitebantur: alvus, urinae, ciborum appetitus sanorum more pene fiebant. Curationem cum Sidhenhamo v. s., et purgatione, quam emetocatharticam selegi, inchoavi; balneis inde usus tepidis cum erbis aromaticis, emplastris e pice burgundica sub plantis pedum, atque haec ad quindecim dies Rem autem in pejus ruere notabam, *emprostotono*, atque *opistotono* noctu potissimum vexari puellam audiebam: erat haec solidis rigidioribus humoribus ad malencolicum vergentibus; Matrem saepe interrogavi, utrum vermes alicuius generis deposuisset, vel deponere soleret diu ante morbum, vel morbi ipsius spatio; at nunquam assequi potui, ut vermibus obnoxiam hanc puellam dicerem. Tandem apud Villisium de morbis convulsivis radicem valerianae sylvestris ad hunc morbum pro pauperibus commendatam cum legerim, ad hanc me totum, et unice contuli, atque iussi, ut per mensem, qui Maius erat, ad semidrachmam singulo mane pulverem radicis istius ingereretur, mandavi. Unicam vix sumserat unciam, iamque convulsiones penitus cessavere omnes, excepta pedum nonnulla adhuc inconstantia, quae omnino evanuit altera radicis uncia partitim divise adusque maj mensis finem sumi continuata. Qua dosi finita, menseque exacto, Puella mente, ac

cor-

corpore firma cum valitudine in parentum afflictorum gratiam rediit, mensibus nonnisi triennio post comparentibus.

Haec fortasse leviora videbuntur, ut pubertatis mutationibus tribuantur, ubi non attendatur ad humorum copiam redundantium, huc illucque vasorum fines lacessentem, nec non ad vim, quam sinus, atque uterina vasa pati debent, antequam cum reliquis solidis partibus statum acquisiverint pubertati peculiarem, ac proprium. Nerveae fibrillarum extremitates sub hac immutatione totum sistema nerveum cum ipso cerebro possunt afficere; pro robustiori autem, minusve firma sintaxi partium harunce, exiliora, aut vero grandiora prodibunt phoenomena.

Iam vero is non sum, qui pubertatem inter morbos relatam velim: tantum contentus, pubertatis epocam saepissime utique salutarem, morbis tamen et ipsam haud immunem.

HISTORIA III.

Ne autem mares instante pubertatis epoca, huiuscemodi morbis credantur immunes de puero 3. referam hystoriam, quam superius polliticus sum. Aetatis itaque erat puer annorum 13., plethorici corporis habitus,

solidorum temperie firma satis, ingenio praestans, ac pietate, parentibus ortus sanis, solidorum rigidiori sintaxi donatis, patre ab humore rheumatico ad genu iamdiu deposito, claudicanti facto. Coepit ille taciturnitate teneri, vix cibos capiebat, suspiria edebat frequentia, mens (uti referebat), tetris, ac libidinosis immaginibus diu, noctuque premebatur, cum quibus perpetuam, ratione, ac religione luctum inibat; mens tamen sibi compos erat. Haec omnia ad annum, et sex mensium spatium. Solum autem tempus Medicorum omnium coripheus, nullo omnino physico adhibito remedio, solis rationis viribus, ac fluidorum, solidorumque alteratione devicta iuvenem optime spei ab hoc melancolico, licet solum incoato affectu liberum fecit: se videlicet alio, quam qui fuerat homine facto. (*d*)

Plures praeterea nos apud testor impuberes sub hanc epocam iunceos, pallentes, languidos cum ipsa natura veluti conflictantes antequam hunc augmenti statum novorumque or-

---

(*d*) *Videris Tissot. Meladies des Nerfs. T. 2. p. 1. artic. VI. des regles. ubi sapientissime de hac aetate tamquam critica loquitur, ubi morbos refert huic epocae proprios sed radicitus tollendos ab adventu mensium.*

organorum evolutionem, novam solidorum, ac fluidorum sintaxim adipiscantur. Quin et puellam novi Ticinensem ab anno aetatis 12. saepe sed levissime sine febri desipientem, quintodecimo vero aetatis anno e sinu pudendo cruore menstruo manante, animo firmiorem, et corpore factam.

Diutius in pubertate immoratus, de qua agere constitueram, non omittendos crederem reliquos morbos, quos magnae in humana machina mutationes ab hac aetate usque ad senium parere notantur. Neq. hoc sine magno Hypocrate Duce perficiam inquiente sectione 3., aphor. 29., et seq.: *Adolescentibus sanguinis spuitiones, tabes, febres acutae* . . . . . E capite enim ad pectus convergere plethoram, observatio docet; arteriae namque sanguine pleniores adhuc morbos creant sub hac aetate. Ultra vero hanc aetatem finito solidorum incremento, sanguis ex arteriis in venas ubi redundet, colligi commodius consuevit nec non e superioribus ad abdominalia viscera laxioris texturae radios convertens hoemorroides fiunt, *alvi profluvia, cholere disenteriae*, lienteriae.

Senibus occalescentibus vasis pulmonicis minimis, nec non vasorum omnium extremi-

mitatibus, humoribus ad concretionem inclinantibus, cute facta duriori, *spirandi difficultates* eveniunt, *destillationes* cum *tusse*, *urinae stillicidia*, *articulorum dolores*, *renum passiones*, *vertigines*, *apoplexiae*, *mali habitus*, *pruritus*, *totius corporis*, *vigiliae*, *alvi*, *oculorum*, *et narium humiditates*, *visus obtusus*, *glaucedines*, *auditus graves* (e).

Phoe-

(e) *Quum mihi non paurum luminis in tenebrosa nonnullorum morborum causa eruenda allatura videantur ea quae in dissertatione D. Fourcroy quae in Bibliothecae physicae D. Brugnatelli Tom. 2. italicae inseritur; sic lectori non ingratum fore confido si summa eorum a me huc referatur, quae ad salem phosphoricum calcarem pertinet, licet a nostro proposito aliquantum remota videatur.*

„ Sal phosphoricum calcare *ab urina*
„ *quacumque praecipitatur primis suae evapo-*
„ *rationis temporibus. Sali similis est, quod*
„ *ossium basim constituit: invenitur in sedi-*
„ *mentis nonnulorum aegrotantium, efficit pro*
„ *maxima parte calculos urinarios, efficit*
„ *concretiones tophaceas, quae in podagrico-*
„ *rum articulis deponuntur: invenitur in*
„ *concretionibus irregularibus, in aponeurosi-*
„ *bus, & musculis eorum, qui jamdiu rheu-*
„ *matismis, vexati fuerant. Quantitas ejus*

tunc

Phoenomena praecedentia, vel comitantia primam eruptionem nos modo ducunt ad ea, quae ab eorundem cessatione, vel a natura stato tempore, vel molita, vel peracta gignuntur Vel omnimodam hic invenies suspensionem cum uteri, vel mammarum consequentibus morbis schirros, carcinomata, vel irregulares apparitiones cum vertiginibus, convulsionibus, vel immodica uterina profluvia, cardialgias, flores albos, manias, maelancolias, erisipelata, herpetes colicae hac una de causa nunc ad tempus, tantum, nunc usque ad exitum afli-

„ *tunc potissimum augetur, cum ossa morbo*
„ *tenentur aliquo: maxime dum morbis ossa*
„ *molliuntur, in podagrae paroxismis, aut is-*
„ *chiadis. Sequitur graves herpeticas erup-*
„ *tiones in urinis copiosissimum, nec non in*
„ *ulceribus scrophulosis cum carie conjunctis.*
„ *Intimam humorum alienationem pronunciare*
„ *videtur, comitatur omnes ossium morbos,*
„ *ac confirmat analogiam jam a magnis Me-*
„ *dicis notatam inter podagram, rheumatis-*
„ *mum, calculum, herpetes. Copiosissimum*
„ *reperitur in senum urinis, ubi succus os-*
„ *seus aegerrime in ossium cellulis deponitur*
„ *copiosius in chronicis morbis, quam inte-*
„ *gra valetudine; in fine febrium perinde*
„ *invenitur biliosarum.* "

ctantes. Etsi habeantur et morbi ab hac cessatione sublati, nec non valetudines inde firmiores factae, feliciores que. Solida hic cum fluidis proportionem ammittunt, armoniaque earum turbatur facile; vel enim rigidiores facti sunt uterinarum arteriarum fines antequam plethora auferatur, vel plethora licet sublata earumdem fines aliqua de causa patere non desinant, unde tot casus malorum. Ubi vero pro adscita arteriarum uteri rigiditate minuatur, et humorum copia; sanitatis en causa huic aetati firmioris factae morborumque prioris aetatis quandoque nec non orta sanatio.

Licet autem, neque omnes nominatae affectiones aetatibus omnium neque palpabiles, ut ita loquar, accidant; puto tamen ego, quod si ad aetatuum mutationes in valetudine tuenda, aut restituenda semper animum advertamus, maximam in medicina faciunda utilitatem capi posse in humanitatis bonum tantopere exoptandum.

Haec vero de pubertate, atque aetatibus dicta sint satis quatenus nostrum propositum attingunt: ordo nos iam ad graviditatem considerandam vocat.

CA-

CAPUT II.

De Graviditate.

NOn sane melius de graviditate sermonem auspicabor, quam verbis celeberrimi auctoris „ Omnium, inquit ille, quae corpus
„ humanum immutant, et novae adducunt
„ existendi formae, nulla est conditio, quae
„ magis notabiles inducat alterationes, quam
„ illae, quas experiuntur foeminae mensibus
„ graviditatis, ac post puerperium. Siquidem crasis sanguini nova inducitur, primo
„ a menstruorum retentione, postea vero a
„ productione humoris mucilaginei, atque
„ lactei, qui non solum ultimis graviditatis
„ mensibus exuberat, sed etiam longa post
„ partum, relinquit sui vestigia, nec nisi
„ post plures a graviditate menstruorum vices perpessas omnino, et funditus deletur (*a*)

Vir enim sanus cum sana muliere rem habens, ubi conceptio fiat, orditur haec, atque coniungitur cum convulsivo quodam

(*a*) *Lorry. de morb. cutan. pag.* 281.

voluptatis sensu a reliquis plerumque infoecundis coitibus magnopere distinguendo. Magnorum hoc phoenomenorum initium facit, quae a nervoso genere primum, adfecto accepta referenda sunt. Mobiliores, irritabiliores evadunt mulieres foecundae factae, versicolores, nauseabundae, vel absona, vel peculiaria tantum appetentes. (*b*), avversantes alia; vomentes facile. Hae primae gravidarum mutationes duobus e fontibus profluunt, nervea videlicet alterata conditione, ac fibris irritabilitate donatis; quae duo nisi unam agnoscant originem nervosum videlicet systema tantum diversimode distributum, constituunt sane maximum in aeconomia animata agens, functionum omnium maxime effectrix causa. Ast praeter haec, supressis in gravidis periodicis fluxibus, *catamenia* dictis, plethoricae evadunt eae, copia videlicet boni sanguinis iusto maiori facta, cessatis mensibus, vel iis imminutis.

Uterus statim, atque ovulum, ab ovariis per *fallopianas* tubas descensum excepit, mecanica sibi fortasse peculiari vi, arterias, quas laxiores caeteris paribus, factas diximus, tor-

(*b*) *In dictionario Castelli: de Muliere fit mentio, quae per follem in os, gravida facta, aerem sibi ingerendum insuflabat. V. Pic. et Malacia.*

tortuoſas, circumflexas, evolvit, atque ita ſimul grandiores facit, ut quae in virgineo, ac muliebri non gravido vix, ſetulam admittebant, ſub geſtationis finem anſerinum admittant calamum hinc craſſiores uteri ſimul grandioris facti parietes intelligimus, ſecus ac in belluis pleriſque, in quibus grandeſcit utique uterus praegnantis, aſt eiuſdem parietes attenuantur, veſicae inſtar quaſi aere diſtentae inſuflato. Uterus autem gravidae undecies grandior eſſe ſolet, ac uterus mulieris ante, vel poſt graviditatem. Nec praeterire licebit arteriarum meatus in gravidis crebriores factos.

Tria itaque hic notanda videmus. 1. mobilitatem, et irritabilitatem alteratam, 2. Plethoram 3. Uteri augeſcentis molem.

Quandoquidem vero haec ab ipſo naturae ordine ſtatuta videantur, ut novi hominis evolutioni, incremento, perfectioni, cuius in materno antro capax eſt, anſam ſuppeditet: non tamen inficias ibimus, naturam ipſam ſaepe de novi hominis creatione ſollicitam nimis, matris interim valetudinis minus ſaltem memorem videri. Namque praeter anorexias, picas, malacias, aliaque id genus mala, quibus utero gerentes mulieres affici ſuperius adnotavimus addenda leypothimia, convulſiones, epilepſiae, vertigines, dolores ſummi ſtomachi, pectinis, inguinum,

renum, mammarum, torpor, gravitas, dispnea, abortus (*c*): Quae omnia ab auctore gravissimo soli plethorae tribuuntur ortae a catameniorum cessassione, sed quibus obnoxias videmus et mulieres, quibus etiam gravidis menses fluere non desinunt. Maxima ergo ex parte mutato solidorum nerveorum, atque irritabilium statui adscribenda videntur, qua mutatione solidorum fit, ut humores, quorum copia, ac indoles non antea lacessebat solida ad motus abnormes, nunc vero lacescet. Unde arteriarum micatus frequentia major, unde nova succi mucaginosi in embrionis evolutionem insumendi praeparatio, unde gravidarum aegrotationum maxima causa.

Verum utique est, quod uteri mutationes per uteri, cum mammis sympathiam nervosam Wiessenio notatam ad mammas etiam congestiones devolvant humorum, qui lacti potius pro puerperio parando vias aperire dicerentur satius, quam bono lacti e mammis secernendo gestationis tempore pares. Age vero rem ipsam ab ipsa investigata natura petamus. Unius, ejusdemque mulieris hystorias referam quinque graviditatum, a prima primitus experta ducens exordium. Do-

---

(*c*) *Boherav.* 8, 1296. *Tissot de l' epilepsie.*

Gestatio prima.

Domina N. N ann nata 22., sanguinei corporis habitus, viro iuncta anno 1785. mense aprili, majo autem mense concepit, atque imi ventris doloribus diu noctuque, quotidie torquebatur, panis muffam olebat, aversebatur edulia pene omnia; initio autem octobris icterica facta est cum dolore ad hepar fixo; v. s. instituta per secutam diarrheam icterum abiisse dicerem; incidit in febrim tertianam in quartanam demum conversam. A quinto gestationis mense lac copiosum, sed vitiosum e mammis manabat frequentissime ad usque puerperium; doloribus supra memoratis ab initio conceptionis, ad finem usque, partum videlicet protensis; partus felicissimus, infans nonimestris videbatur, longitudine, mole, forma. Lacte a partu vitioso flavo, primum deinc bono facto; post 15 dierum spatium masculus infans obiit. Quartana ad majum usque proximi 1786. prorogata.

Gestatio secunda.

Hinc iterum gravida facta nauseabunda, melius valere, ac in prima gestatione non consueverat: copiose fluxere menses, ad duos scilicet menses stato tempore, inde cessarunt.

runt. Pulsus uti febriles, facies bona, solae manuum constanter calentes praeter morem: caetera sana; binis ante partum mensibus lac guttatim melioris notae, ac in prima gestatione, statimac colligeretur exibat, copia tamen exiguissima. Dolores ventris uti in graviditate superiori prorsus nulli. Peperit infantem die 31. Ian. 87. felicissime, robustum, alacrem, vegetum, qui octavo die a nativitate, matris sustentatus manibus erectus gressos in terram faciebat plures; ut nonimestrem, simulque maturum crediderim; lac triduo a partu elapso copiosum in mammis flavum primo colostrum dictum, inde album factum est. Lactavit infantem ad menses septem, cum iam fortasse nimiam lactis sugeret copiam, matrisque individuum inde frauderetur nimis, incidit in febrim nocturnam vix notabilem, vomitibus praemebatur, unde se gravidam iam iterum crederet. Ablactatus fuit infans mense augusto, seseque graviditas in tertianam duplicem, dein in vomitus quotidianos vertit absque febre, si vix sensibilem nocturnam exacerbationem exceperis. Urinas tandem conspexi cum sedimento lateritio, remque cum cortice peruviano devici, nulla graviditate detecta.

Ge-

Geſtatio tertia.

Labentis an. menſe Decembri, tertio foeta utero facta, vomitus alimentorum ad binos menſes bis in die vexabatur, corticis peruviani dr. ii. ſingulo mane per octiduum ſumendas iuſſi, ceſſarunt inde vomitus, optime valuit ad partus usque ſtatum tempus. Lac ad mammas aparuit nullum, licet tumidiores factae aliqualem doloris ſenſum ultimis menſibus exhiberent. Die 23. Septembris ſequentis anni, puellam peperit partu a ſola natura inter magnos ſane labores abſoluto. Lac triduo a partu *coloſtratum* primo, inde bonum copioſumque factum. Inter magnum uterini ſanguinis profluvium, ſummosque imi ventris dolores ſaeviſſimae convulſiones obortae ſunt die a partu ſeptimo liquor anodin. mineral. Hophm. cum acq. meliſs. pillul. e gumm. arabicum tribus aluminis granis; demum periodica detecta quotidiana febricula decoctu corticis peruviani, rem optime ceſſiſſe animadvertimus. Lactavit ad quinque fere menſes copioſo ac bono, craſſoque lacte uberibus ſcatentibus. Minus bene ſe habebat, ac tempore graviditatis. Puella inter convulſiones noctu obiit parentibus vix id praeviſis, v. s nulla celebrata graviditatis tempore: aquae ante partus excluſionem vix ullae.

Et

Gestatio quarta.

Et quartam graviditatem felicissimam peregit, nauseis plane nullis, nullis vomitibus, optima summe appetens alimenta, roseo facei habitu, vertiginibus levissimis obnoxia, caloris sensus solito maioris, pulsus frequentes. V. sectio nulla instituta Mammae turgidae factae ab initio usque nullum unquam humorem exhibuere Peperit die 5. Iar. 1789. *per nates* iterum infantem masculum. Lac postridie uti consueverat bonum, copiosumque lactavit infantem ad tres menses sola, inde ut aliam nutricem sibi sociam iungeret suasi; licet enim copiosum lac, bonumque haberet, grandiori nato tamen facto. Matrem in valetudine pati animadverteram elapsis lactationibus.

Gestatio quinta.

Quinto demum praegnas, atque simul ut supra optime valens, et appetens v. s. binas habuit alteram quarto, alteram octavo in nonum mense celebratus felicissime in lucem edidit puerum torosum, pingue, rubrum prima a nativitate nocte sanguinem mucosum ex ore vomentem. Tussi inde convulsiva tunc epidemica in ipsa matre ab aliquot ante partum incohata diebus, febris, 17. a partu die a

tussi suffucatus periit infans: mammae in graviditate turgidae, lac ex iis ne pressione quidem ullum.

Morbosam ex hinc videre est primam graviditatem, menses nulli; lac vitiosum e mammis a quinto mense ad finem usque Secundam cum catameniis ad binos menses stato tempore fluentes feliciorem lac a 7. mense parco, licet melioris, non optimae notae, ac in prima. In tribus gestationibus reliquis felicioribus, plethora licet manifesta lac omnino nullum.

Dolores molestissimi in prima, icterus ab iisdem factus, satis arguunt uterinas nerveas fibrillas distendi minus adhuc pares lacessitas, et ramenta hepatica in consensum vocasse.

Plura non adijcerem, nisi ad nervosam in graviditate alterationem probandam, hystoriam haberem mulieris habitus malancolici, quae me eidem medicam operam suppeditante circa septimum mensem in binis gestationibus, epilepticis insultibus febrilibus tentata fuit, narravitque id alias eodem tempore iam se passam esse dum utero gerebat. Hosce insultus vere epilepticos, febrique stipatos, quum periodicos animadvertissem post v. s. cortice fugandos duxi, atque reapse fugavi. Non desunt epilepsiae alia exempla gravidis molestae, quae ideo a Tissoto inter graviditatis morbos

bos relata non immerito dicitur. Non desunt convulsiones regulares adeo, ut horologiorum criterium statuere possent. Nec minus alteratam ostendemus nervorum sintaxim, atque immutatam a gestatione ubi advertamus cum ipso Tissoto suspensos, si non curatos insultus epilepticos (*d*) durante eius intervallo temporis. Foeminam praeterea novi ego dum Ticini degebam, quae gravida fact aestivis Junii diebus de molesto frigoris continuo sensu quaerebatur.

Celarii uxor 40. ann. unius graviditatis tempore tanta affecta est cerebri levitate, ut (infandum!) Mammonam, non Verbum in Eucaristico pane contineri vix emente sibi posset divelli; inde frequentibus isterico melancolicis insultibus tentari solet.

Et si vero maximam dixerim *mobilitatem et irritabilitatem* causam constituere morborum gravidarum; tamen habet & plethora suos tum ad nervosos pertinente morbos, tum & ad aliud morborum genus, ubi haec in gravidis locum habeat: neque enim constans, ut gravidae plethoricae fiant. Convulsiones a repletione fieri ajebat Hypocrates (*e*).

Hac

(*d*) *V. Tissot Malad. des nerfs Causes physique artc.* 8. §. 15. *Epileps. artc.* 4. §. 27.

(*e*) *Aph.* 39. *sect.* 6. 378. *Consul. & Scardo-*

Hac itaque locum habente boni sanguinei laticis iusto maioris copia febres eaeq. acutae, atque haemorrhagiae iusto grandiores, fiant eae a quacumque corporis parte, cum abortus periculo secuti fieri consueverunt; ubi parciores plaethora existente cum *beuphoria*. Consule P. Andream Pastam (*g*).

Augescente demum foetu sensim augetur, & uterus, adeo ut grandior undecies fiat (Caldani de Conceptione); viscera comprimuntur, in angustiorem coguntur locum, pelvis ossa, eorumque ligamenta distracta sunt, atque etiam in suis sinphisibus reapse dissociantur. Hoc non tantum de sinphisi pubis dictum volo, sed & de sinphisi illium cum osso sacro.

Ex hisce incessus dolens difficilis, varices ad crura, aedemata, haemorohoides, omenti

---

donam, qui de morbi (mulier. cap. 9. §. 5.), optime ait, ab Hippocrate adnotatum est, mulierem gravidam disenteria laborantem, si convalitura est ab aegritudine, vel ipso partus die, vel paulo post levari opportere. Eaedem sunt Skenchii, & Mauriceau observationes.

(g) *Discorso medico-chirurgico intorno al flusso di sangue dall' utero delle donne gravide p. 24. 25. n. 34.*

omenti glomerationes durae morbosae, (*b*) quandoq. bilis, ac digestionum, nec non laesio functionum aliorum viscerum abdominalium, uti chimificationis, transitusque chili per *Aselianas* lacteas vias. Unde congestiones morbosae puerperalibus dein febribus aliisque morbis ansam suppeditantes.

Superessent de ea phlogosi, verba quae gravidis familiaris esse solet, quaqua phlaegmonadeas affectiones externas facit, a qua fluxiones ad fauces salsuginosas, atque dentium dolores; insuper et de solutionibus alvi cum graviditate inchoatis, ac finitis, de quibus cum Hypp. Scardona mentionem habet; sed

(*b*) „ *In graviditate saepae omentum ab „ utero premitur, repellitur, ac in se ipsum „ revolvitur, ut nonnunquam inflammetur, „ induresc at, & tumores variae formae ef- „ ficiat duros & oblongos, situm modo ob- „ liquum, modo transversum occupantes. „ Hujusmodi tumores in mulieribus, post- „ quam peperere inveniuntur in eorum abdo- „ mine, & per multos etiam annos gestan- „ tur sine magno incomodo. Ruischius in „ mulieris cadavère observavit omentum duos „ digitos crassum, tres latum, spithamam* 1. „ 12. *longum, adiposo-carnosum, immo „ schirrosum*". *Ex Sched. Burserii de obstruct.* T. 8. *pag.* 175.

sed haec irritabilitati ac sensibilitati auctae, atque alterarae aut in universum: aut vero ventriculum, atque intestina peculiariter afficienti cum Wansvietenio: (*h*) tribuendas censemus. Quod et de morbis ab animi pathematibus in gravidis facilius lacessendis dictum habeatur.

Haec ad damna nos ducunt e lactatione profluentia tempore gestationis peracta. Sequenti capite eximuntur.

CA-

(*h*) *Huc refer notam in p. 28. sic . . . Comment. in §. 719. &c.*

CAPUT III.

De damnis a lactatione tempore graviditatis celebrata.

„ Lactis excretio, inquit vir in arte summus, „ nutricis viribus major, subducto corpori „ trimento debilitatem, pallorem, maciem, „ circuitum vacillantem, febrim hecticam, „ tabem sudores profusos, *utero gravido abor-* „ *tum* ereat: frequentiore insuper uberum su- „ ctu etiam vis nervea labascit, irritabilitas, „ animi dejectio, deliquium, cordis palpita- „ tio, vertigo, sensuum, maxime visus, te- „ neritudo, hebetudo, spasmi histerici nas- „ cuntur. Parati autem lactis suppressionem „ mammarum sequitur distensio, tumor, do- „ lor, febris, inflammatio, suppuratio, schir- „ rus, aut impetu aliorsum verso dolores „ rheumatici, humorum in partibus aliis con- „ gestiones, harumque sequelae; nisi mature „ salutaris per transpirationem, sudorem, „ urinas, alvum, lochia, menstrua evacua- „ tio supervenerit." (a)

Bal-

(a) *Gaubius Institut. Pathologic. pag.* 156. §. 564.

Ballonius insuper ait: „experientia com„pertum esse omnes fere mulieres, quae diu „fuerint nutrices gracilescere, aut morbis „postea opportunas, aut debiles vivere aut „fluxui, muliebri obnoxias (*b*).

Haec licet non omnia nostram ad rem facientia videri possint, plurimum tamen lucis allatura sunt iis quae et hoc in capite, et in sequenti venient considerationi subigenda.

Scire etenim opere praetium duco nostris in regionibus austrinis patentibus aeris mutationibus, quae haebetantes, caliginosae caput gravantes, pigrae, dissolventes ab Hippocrate dici solent; agro pratis, & orizzae magna pro parte dicato, mulieres pauco utentes vino, alimentis crassioribus, aquis non salubrioribus, et lacte generatim a partu non abundare, et abortus facili de causa pati, idque iis potissimum ac frequentius annis pluviosis una cum pituitosa morborum rehumatica constitutione coniunctis. Duodecim ego mulieres Zemidenses abortum passas nosco anno 1791. quatuor alias in villa pusilla (Marza) dicta 1786., quorum abortuum causam Hippocratem legens temporum constitutioni tribuendam non immerito censui; cui quidem constitutioni endemicae pene dixerim patere loca, quae incolimus, adeo constanter uda atmosphe-

(*b*) *V. Ramazzini cap.* 19. *pag.* 40.

ra utentes ex locorum natura, tum ex ventorum meridionalium dominio prae ceteris flantium. (c) Lactantes praeterea animadverto ego gastricis verminosis affectibus obnoxias magis, nec non intermittentibus febribus familiaribus adeo ac frequentibus in agro laumellinensi: atque hoc facilius evenire adnotavi post septimum lactationis mensem quum videlicet infantes grandiores facti maiorem sugunt sibi lactei humoris copiam.

Hisce ita praehabitis de lactatione dicturus tempore peracta graviditatis *matrem phetum lactatumque* simul atque eodem tempore *infantem* attingente, videamus quid natura fecerit, aut vero tulerit per observationem indagata.

HISTORIA I.

Mulier 30. annorum coloni cuiusdam Gerlotti uxor boni habitus corporis rigida solidorum sintaxi trium iam filiorum mater, et alias iam abortum passa a biennio puellam lactabat; gravida facta a tribus circiter mensibus, aiebat infantulae ubera praebere non desiit, copioso optimo, dulci, albo oculis

(c) *V. Hippocr. De aere aquis, et loc. cap.* 2. *tum et sect. III. aphor.* 12. *nec non Praecl. Stoll. aphor.* 380.

sine ullo stimulo a me mihi instillato lacte scatentia : puella inde febricosa facta, insomnis irrequieta, pallido flavi habitus licet et aliis cum lacte eduliis vesceretur. Mater a conceptionis initio male habens die demum 13. Martii 1792. doloribus imi ventris prehensa uterino cum sanguinis profluvio embrionis amissionem fecit. Hoc nonnisi lactationi protractae ab ipsa matre tributum.

HISTORIA II.

Montalenti coloni uxor 23. annorum 1791. rigidi corporis optimique habitus victu vivens arido, ac laborioso primum feliciter pepererat infantem, quem ad annum iam lactabat feliciter inde gravida facta sed bono (mulieres enim, sciendum, sibi ipsis oculis, et lingua specimen praebent, colorem scilicet ac saporem lactis examinando) ac copiosore se lacte praeditam sentiens, lactationem ad quintum usque mensem traxit. Ast quid inde? mater in febrem incidit gastricam cum doloribus imi ventris continuis, tenesmodeis, stranguriosis fere ad mensem affligentibus nec sine magno abortus proxime sequuturi discrimine, quod Deodante v. s. clisteribus ceterisque ad rem opportunis auxiliis avertisse datum fuit: intermissa simul lactatione infantis icterici inde universim, ac morbidi facti.

HISTORIA III.

Paronae uxor inter saniores loci mulieres, cuique primu óbtutu referenda infantulo meo una cum matre ubera admovere consueverat, cuius usura ad menses sine ullo vel minime sanitatis detrimento utebatur filiolus nomine Stephanus; jam vero lac quod diu optime tulerat vomere caepit, destitum a suctione, et gravida fuit demum inventa calculum e phetus motubus a matre persentitis instituendo. Lac licet vomeretur, expressum boni notas exhibebat nutrici. Post decem et octo menses continuatam ab uxore mea lactationem puer lac bonum crassum dulcissimum sugens minus bene habere caepit, pallidior fieri atque versiculor ex hoc de conceptione orta suspicio, jam a tribus hebdomadis; ablactato infante, lacte ad ubera optimis instructo notis fluere non cessante copioso, erat uxor *praeceruti* infantis recens nutrix, quae a morbo mammarum diu passo parcissimam habebat lactis sugendi copiam: opem ab uxore mea postulavit pro infante fame vexato, huic ubera admovebat bis in die ad hebdomadas: quid? infans lac optimae sugens notae mulieris gravidae factae, (non obstante fame, quae et alimenta minus bona in optimum sanguinem vertere par esse consuevit) ad horas ab assumpto vagitibus molestiam indicantibus vexa-

xa-

xabatur usque eo, donec per ructus emissos ore demum somnum capiebat.

Nec de filiolo meo taceam inde ab orta conceptionis suspicione in febrem quotidianam incidisse intermittentem, cum qua per quinque menses non sine magno vitae descrimine conflictatus est: orta sub finem et dentione aegerrime peragenda, quae morbum iam affligentem gravissimis ac periculosissimis auxit simptomatibus (*d*).

HISTORIA IV.

Fabri lignarii uxor mammosa pinguis lacte ad ubera copioso ac bono fluere solito; jam gravida facta plenis mammis, lac filioae alterius mulieris praebere perexit a primo graviditatis indicio ad usque quintum, sextumve mensem, puella irrequieta pallidiuscula febribus erat obnoxia, post ablactationem alacrior, facie coloratior, pro aetate facta est. Mulier nutrix ophtalmia habituali interim laborabat peperit ante septimum mensem infantem, qui morbosam duxit vitam ad quartum usque mensem, quo demum tempore e vivorum defecit numero.

(*d*) *V. Plenk arte ostetricia pag.* 85.

HISTORIA V.

Maria Antonia Cucchi robusta mulier annorum 23. ab 8. annis nuptum data trium filiorum nunc mater, cuius primus puella est, quae lac matris jam utero gerentis copiosi ac boni sugens febricosa facta est inde obstructionibus vexata, quae ad huc dum tumido gerit ventre. Infantulus pejorem inivit sortem, nam a lacte bono ac copioso matris, quae utero conceperat ad mensem tantum diarrhea vexatus fuit longa adeo, ut vitam ademerit. Eodem ego usus charactere dum ubera tertiae infanti praebebat, hanc morbidam factam animadvertens primo labentis anni vere autor ei fui, ut lactare desisteret, ne et huic pejora contingerent. Mater graviditatis jam ultimum agit mensem Novembris. Puella a mense tantum intermittentem fugavit.

Paucis lactatio: infantis, tempore graviditatis et ad morbos disponit, et dentitionem difficiliorem reddit, et jam existentes morbos iisdem graviores facit.

HISTORIA VI.

Audivi a matrona fide dignissima, quae 24. ab hinc annis de graviditate non suspicans, siquidem menses stato fluebant tempore, lacte ad ubera copioso, bonisque ad visum et

gu-

gustum notis praedito, puellam lactare non desiit ad quintum usque mensem, quo per motus foetus se gravidam sensit; quod puella cachexiam scorbuticam inde traxerit a qua aegerrime convaluit amisso cum dentibus tribus alveolo ipso. Peperit infantem nonimestrem cute nigerrimum, qui vix baptismate donatus obiit.

Haec ita candide fassus pronum utique videre est qui fiat ut matres utero gerentes a lactatione detrimenta patiantur, nutrimento enim fraudatae, functiones omnes digestionesque labefactantur et morborum plurimi inter se diversi quod ad speciem, eamdem agnoscunt, unamque quam diximus causam. Neque ab imbecilitate fibrarum inde orta sensibilitas, in gravidis (*e*) jam aucta, major ad huc facta impar videbitur causa ad obortus faciles procurandos; abortus enim ab uteri convulsivo motu in suis fibris supra modum tempore in congruo orto contractis placentulam ab uteri osculis separante oriri tam notum, quam quod in pathologicis maxime.

Id, quod maximum hercule intellectui negotium facessit est intelligere qui fieri possit, ut lac gravidarum ad sensus bonum infantibus labem inurere valeat.

Sane ubi observationes superius allatae,

 quod

(*e*) *V. Cap.* 2.

quod non injuria crediderim, satis, valent ad damna matribus una cum fetu, et infantibus lac sugentibus illata demostranda, post observationem et ratio esset invenienda indagandaque phenomeni.

Rem itaque sic ego explanandam aggrederer. Lac in observationibus allatis examinatum nonnisi in vasis fuit aeris contactum jam expertum: verum quot non mutationes animalibus humoribus accidunt ab hoc solo contactu aeris, vel enim amittunt insensibilia quaedam fluida, vel ab ipso aere aquirunt alia seorsim, vel et simul amittunt recipiuntque vicissim aliquid huc usque non satis notum. Postquam enim e physico-chemicis invecta notio de variis aeriformibus permanentibus fluidis, de igneo fluido &c., negabit nemo plures mutationes quae in animali officina peraguntur, in chemica perinde non imitari posse. Quis enim amabo, recentissimus physico-chimicus usque eo processit, ut lac in officina imitaretur licet et caseosa, et butiracea, et seroso sacharina instructus materie ab ipso lacte separata sponte ad aerem calidum exposito. Nemo sane quod sciam. Praeterea quis, quod de lacte innui de sangine eiusque principiis assequi potuit; de bile; urina; caeterisque in humana officina paratis humoribus fluidisque: profecto nemo ex chemicis huc usque uti exquisitam analysim fluidorum humani corporis, ita

ex obtentis ab analysi sintesim obtinere potuit.

Itaque, cum desit nobis ex analysi animalium humorum synthesis, idest ex resolutis partibus lactis, ad exemplum, nova lactis compositio necessario dicendum, quod vel demtum, vel additum habeatur aliquid, cujus ignota copia nobis adhuc negatur. Jam vero cum nos superius (*f*) posuerimus mulieribus gravidis factis alterari cum irritabilitate nervosam quoque sensibilitatem, cumque ab hoc duplici fonte secretionum quarumque animalium perfectionem, imperfectionemque fluere statutum habeatur in physiologicis; Hinc est ut lactis licet ad sensus boni e gravidis eliciti vitia ab alterato secretionum fonte promanent sensibilitate nempe atque irritabilitate, quae lactis insensibilia principia sic afficiant, ut nerveos infantum ventriculli villos, nec non villos arteriarum aliorumque organorum, quae secretionibus praesunt lacessere valeant; non vero perinde adultorum. Unde innotesceret causa lactis gravidarum malesani, licet ad sensus boni.

Revera infantes per oris antliam lac ex matris uberibus sugunt; per oris vacuum cavum ad esophagum et ventriculum lac demandari solet, quin exterioris aeris contactum subeat: quidni ergo alteratio in partibus insen-

(*f*) *Cap.* 2.

sensibilibus ipsius lactis constituentibus ea erit dicenda quae infantum ventriculum ceteraque organa damno afficiat?

Praeter quam quod illud etiam adnotatum vellem quod lactantes etiam seorsim a graviditate mulieres, debiliores fiant, amittantque non parum de pondere, quo ante gaudebant (g) Clar. Simpson cum ad stateram ponderasset nutricem bene valentem, lacte copioso donatam; hac iterum pensa sex post hebdomadis, invenit eam amisisse hoc temporis intervallo pondus sexdecim librarum. Ex infirmo autem stomacho chili rudimenta inter se minus complexa: lac vero a chilo parum distans immo, humor admodum chilo similis, si caseosam excipiamus partem, quae in chilo vix huc usque demonstrari potuit, rudimentis perinde constabit facile inter se separandis. Verum nonne ex sola hac partium lactis facilius in partes dispertiendi conditione plurimae oriri possunt conditiones morbosae; idque tum maxime, ubi buthiracea, caseosa, serosa sacarinaque lactis substantia degenera fiant, ac labefacientur in sugentis ventriculo?

Si lac plurium animalium inter se comparemus illud facilius in partes videtur separabile, quod ab animalibus imbecillioribus petitur. (h) Ovis lactiferorum animantium

---

(g) *V. Yung de lacte. Edimb. 1761. p. 6.*
(h) *Spielman apud Tissot l, c.*

maxime debilis, ea est, quae lac fert buthiro, caseoque maxime omnium scatens, ceteris paribus.

Sic explanatis pro modulo meo rationibus, quibus lac gravidarum licet ad sensus bonum, nec a non gravidarum lacte discrepans, tamen infantibus damna valeat afferre, reliquum est, ut ad difficultates explodendas orationem convertam, quae contra nostram sententiam facere creduntur. Has ordine puto recensendas esse.

1. Opponitur damna infantibus obvenientia, qui lac gravidarum sugunt probari non posse an a lacte, an vero a vermibus dentitione, acidis aliisve infantilium morborum causis oriantur?

2. Si lac gravidarum male afficeret infantes, cur non et primum mammae labem persentirent?

3. Cur impune sugeretur a pullis brutorum, qui ubera matrum jam ventre gerentium ad menses suggere consueverunt.

4. Tunc a lactatione abstinendum ajunt, cum gravidae se sentiunt, vel infantes detrimento aliquo inde affectos esse.

5. Auctoritatem habemus Praestantissimi Baronis Wanswiettennii exemplum referentis de lactatione peracta toto graviditatis intervalo, idque impune: habemus et observationes a recentioribus in medium allatas.

6.

6. Demum rationem iterum ad examen vocabimus, cur catella Delphi gravida facta, felis illius ubera inde cum lacte sugere prorsus renuerit.

Ad primam quod attinet difficultatem inquio, vel haberi criterium in dignoscendis infantilium morborum causis, vel nullum dari: si habetur pro acidis, pro detentitione, &c. Quidni et haberi poterit ad dignoscenda damna infantibus a lactae nutricis utero foetae?

Si itaque observationes in medium allatae satis testantur de damnis lactis licet ad sensus boni; si rationes petitae a sensibilitate, et mobilitate alterata (quae duo in gravidis negabit adesse nemo) lactis secretionem interturbante ita ut infanti noceat, id satis ostendunt; ipse profecto addiderim a lactatione gravidarum non augeri modo posse plurimae causarum morbis infantilibus faventium, verum et ubi non adsint creari: quin immo, et dentitionem ipsam (quo tempore facile rachiticos infantes fieri jam capite primo adnotavimus) difficilius erupturam ab hac causa non improprie dixerim: et simul infantes morbis opportuniores, licet lactationem impune ferrent ad sensum, et iis ferendis quibus omnes pene obviam eunt (variolas, morbillosque dico) minus pares reddi.

Sint propterea iam sat superque multiplicia morborum humanorum seminia quin nunc dum *aetas parentum peior avis tulit nos nequiores,*

quiores, mox daturi progeniem vitiosiorem) calculum addamus iisdem lactationem suadentes, lacte licet bono ad sensus, gestationis tempore peragendam. Neque enim aliter sensisse Clar. Virum opinor Gregory inquientem (*i*) „ observatur lac instantibus mensibus infantem „ plerumque male afficere, licet dum fluunt „ eisdem saepe non noceat." Loquitur de nocumento de qualitate vox nulla. Alibi ab histeria miri & varii lactis affectus notat idem.

Ad secundam vero responsum dabo, quod petere ut mammae primum vitiati lactis labem sentiant est idem ac quaerere id, quod ab observatione negatum videmus. Mulierem nosco ego uteri morbo ab herpetica simul simulque venerea labe vexatam, decem annis nullum enixam foetum licet ante morbum peperisset, quae a me intra biennium sanitati restituta concepit peperitque masculum, quem jam ab octo mensibus lactare pergit: vexabatur haec toto gestationis tempore acidis summe ructibus; post partum ac puerperium lac oculis, ore attente examinavi, erat huic color ad atrum vergens, sapor acer, oculis mihi instillatum punctionis sensum afferrebat: suasi ut infans alteri concrederetur nutrici, numquam id a matre assequi, potui; infans ad usque qua-

(*i*) *Conspect. Medic. Teoret. Tom.* I. *pag.* 201. §. 809.

(*) ad octavum usque herpetica miliari pene diexerim ad cutim eruptione: hunc alacrem, boni corporis habitus, vividumque crescentem facit vitiosum matris lac sugentem, cujus mammae nil huc usque unquam passae sunt damni. Hinc infantem attento persequor oculo, ut de illius exitu mihi constare valeat: coetaneis variolae infestae fuerunt, huic pepercerunt huc usque. In matre de graviditate hucusque ne minima suspicio. Bene valet.

Paradoxum videbitur lac bonum ad sensus ast e muliere utero foeta damnosum infantibus, vitiosum vero ad sensus ast e matre non gravida toleratum licet non omnino impune ut videre est, ubi imposterum, quod Deus avertat, pejora non contingant. (1)

Minor tamen admiratio fiet si obiter notatum sit ne quidem ab immodicis coitibus lac ad sensus vitiatum deprehensum fuisse, licet ab eo infantes ejulatibus se torminibus ad totum pene diem vexatos testarentur.

„ Medici illi, qui ipsemet proles habent, aut „ habuerunt, ceteris paribus melius tractabunt „ infantum morbos (*k*) ".

An-

(*) *Infans ad usque quatuor menses torminibus vexabatur, ad octavum &c.*

(1) *Variolis succubuisse noto.*

(*k*) *Stoll Maximillianus. Praelect. in morb. chronic. oper. posthum p. 176.*

Antequam ad tertio loco sitam difficultatem diluendam aggrediar ea arbitror, praehabenda esse, quibus bruta ab hominibus discriminanda censentur. Itaque 1. Bruta animantia prophysicis tantum objectis facta minori donantur nervorum sensibilitate, stupore enim quodam affici plus minus animantia omnia satis cuique constat; homines vero pro physicis simul, simulque metaphysicis, atque etiam moralibus objectis factis, nervoso sistematis mobiliori sensibiliori, ideoque longe faciliori de causa, alterando a natura esse donatos, unde sensus, rationemque vividiusque exercere valeant. 2. Mulieres incedere scimus erectas, bruta vero animantia prono corpore; mulieribus utero foetis matricis parietes crassiores, tenuiores in brutis fieri solent: Placenta humani foetus major, quam belluini, menses patiuntur mulieres, bruta non item; hinc abortus in brutis rariores, quam in foeminis: quae et faciliorem copiosioremque ad ubera humorum copiam in brutis ferri debere satis probant, quam non in mulieribus. Crassiores enim uteri mulierum parietes cum placenta facti, majorem exigunt sanguinis copiam; brutorum tenuiores minorem; ubera brutorum utero proximiora per pronum incessum juxta gravitatis leges copiosiorem accipient affluxum; mulierum ubera erecte incedentium ab utero distantia

san-

sanguinem ad ea contra gravitatis leges ferri coactum parciorem accipient.

Ex primo fonte colligendum puto, cur bruta minus, quam homines morbis sint obnoxia internis: ex primo simul, simulque secundo, cur lac copiosius utero licet gestantia ferant animantia, et cur impune a pullis sugi soleat, siquidem minus facile, aut nihil alterabile, minus aut nihil damnosum iis.

Hinc perinde pronum est intelligere, cur aerem ab Herodoto per vaginam insuflatum relatum uberior sequeretur ad equarum mammas lactis affluxus. Uterus enim contractus sic dilatetur opportet, arteriae hinc uterinae compressae ac diametro minutae majorem sanguinis copiam ad mammas ferendam loco proximiores relinquent.

Haec cuique pensitanda proponerem antequam is ex comparata brutorum cum hominibus oeconomia consectaria hauriret ad vitae, ac sanitatis usum plurimum facientia.

Venio nunc ad cautionem quarto loco colocatam, in qua asseritur, quod lactatio a mulieribus gravidis factis usuque eo prorogari possit donec nec infans, nec mater detrimentum sentiat.

Verum vel hic in re seria ludendum, aut vero dum agitur de parandis societati civibus in ejusdem commodum, non in incommodum, res magni momenti veluti inter vigiliam ac somnum pertractanda. Su.

Sumus in ipso physicae educationis liminae, agitur de alimento primo, lac te videlicet, a quo solidorum, fluidorumque expectatur reparatio, organorum augmentum, maxima gaudentium teneritudine, a quacumque, vel levi causa male afficiendorum. Rudimenta ac seminia morborum, quot non a male peracta prima nutritione foventur, adolescunt in seros etiam jam annos solvenda, quin et in nepotes usque protracta! *Fortes errantur fortibus, et bonis.*

Humana species jam admodum in constitutione degener facta magistratuum, Medicorumque salutarem operam undique postulat, ut pristino robori queat restitui. In tanta vero sapientum frequentia Medicorum, simul atque Forensium lactationem audiemus sub conditionibus allatis, tempore graviditatis commendatam, atque praedicatam? Fateor apud me maximi in honoris causa esse auctores omnes, quibus infantum potissimum physica concredita est educatio; verum non inficias ibo infantibus clanculum nocere posse sensimque lac gravidarum, ut dum morbus manifestetur, tunc imis jam tenellisque visceribus inusta sit labes vel cum morte, vel et cum vita cujus saniorem essent assequuti, ubi gravidae nutricis lacte usi non essent, commutanda. Parcendum itaque mulieribus de conceptione imprudentibus ubera infantibus

admoventibus, suadendum me hercle nunquam. (*l*)

Vidimus matres diu jam lactantes apud nos facile in intermitentes endemicos morbos incidentes, videmus et pueros lactatos, quid dicemus de lactantibus simul, simulque gravidis; quid de phoetubus in uteri antro degentibus? Hos morbis etiam in utero obnoxios, mortique, hoc morbidos, atque immaturos seape in lucem editos frequenter heu! nimium cum Hippocrate scimus, utpote qui endemice ferre ab eodem et recentioribus notatis aerum constitutionibus utimur. Binas nosco ego mulieres, a tribus annis, nuptum datas; binos prima abortus passa est, tres altera mortuos. Si itaque hisce non obstantibus, gravidis tamen phethoricis, mammosis,

---

(*l*) *La Lattante gravida* (*inquit P. Plenk Ostetr. p.* 85.) *facilmente abortisce; e'l latte di nutrice gravida fassi a poco a poco nocevole al bambino .... e pag.* 91. .... *i bambini con liquor caldo nutriti per la imbecillità che lor ne viene al ventricolo, e a tutto il corpo diventan deboli, pallidi, fanno i denti più tardi, più tardano a camminare, e per lievissima causa infermano... Si haec mala fiunt a solis calidis alimentis, quidni et a lacte gravidarum clanculum humoribus infantum labem inurente?*

sis bono lacte utentibus suadenda adhuc lactatio est, ego non video sane cui bono tantae cautiones pro mulieribus utero gerentibus in *Politia* Medica statuantur. (*) Caveamus antequam fidenter nimis apud nos vita utentes rustica suadeamus lactationem ac omnibus sane mulieribus parem, multo vero minus gravidis. Praestantissimus Rosen de Rosenstein (*m*) inter impedimenta lactationis graviditatem accenset. P. Stoll ad eumdem remittit.

Si haec de iis, qui vitam ducunt rusticam; quid si de mulieribus, quae urbes incolentes mollem, ac desidem vivunt vitum?

Ad quintam: cum lactationem gravidarum physicum ad examen vocare, pro viribus saltem, mihi constituerim, abstineri omnino non possum quominus et auctoritates expendam, quibus inniti videmus sententiam nostrae adversantem.

Inter primas se se offert viri hercle in arte summi Wanswietennii, cujus en verba paucis comprehensa lineis: (*n*) Vidi mulierem, „ quae primos partus dolores percipiens, da„ bat ubera anno infanti, illumque subridens „ monebat, ut valediceret mammis, quae „ mox nascituro dicatae jam erant. Dum mi„ rabar, dixit, sex jam vicibus se idem fe-

 „ cisse

(*) *A P. P. Frank.*

(*m*) *Malatt. de' Bambini.*

(*n*) *Comment in aph.* 1354. *pag.* 674.

„ cisse. Post paucas horas enixa fuit infan-
„ tem sanum et robustum, quem feliciter
„ educavit. Non ego subtilioris cavilatoris notam mereri videbor, si pace tantae in medicina auctoritatis viri, non nulla animadvertam super illius verba. Non video ex iis utrum lac multum praeberetur, an parum utrum solo vesceretur infans lacte, an cum aliis consociato alimentis? quae hujus quaeve aliorum quinque vita fuerit, ac valetudo? Haec ubi ab Commentatore Clarissimo notari potuissent plus sane luminis praesto esset in definiendo nostro argumento, simulque recentiores posterius hunc sectantes potiora exquisivisent jura leges statuendi, sub quibus vel liceret, vel interdiceretur lactatio a mulieribus me de dis peragenda. Neque enim mentio a gravi- consociatione alimentorum alius generis mentio facta cum lacte ex gravidae nutricis uberibus elicito ab infantis suctione, pro re levis momenti haberetur vellem: scio ego e matribus compluribus, quae pro practica regula et sibi et aliis sanciverant, ut infantes citius, quam fieri posset, alieno etiam alimento tempore, quo et lac suggerent matris, assuescerent; ita enim et a morbis, sive a lactis damnis, sive a coitu nimio, sive a pathematibus animi (res vix vitandae) sive demum a conceptione, oriundis, facilius praecaverentur. Neque hoc experientiae dissonum animadverto, ne-

que omnino rationi. In alimento enim a lacte diverso, e cerealibus petito iis potissimum, quibus et animali similem contineri gelatinosam substantiam demonstravit. Italorum Medicorum Magnus Beccarius (loquor de triticeis ophis), quidni facultas haerebit corrigendi, absorbendi, immutandi insensibile, aut sensibus obvium lactis vitium in gravidis factum, ut sic e noxio vel minus noxium, vel omnino innoxium evaderet?

Ut fatear, quod animo me sentire cogor, dicam hac super re a recentioribus illud patrari peccatum, quod sistematici fecerunt Gassendistae, Cartesiani, Newtoniani sic dicti: hi quodcumque propositum a praeceptore pene dixerim verbum, pro ineluctabili veraque sententia propagandum suscipiebant, sicque a praeceptoris summo sane Genio saepe aberrabant, atque aberrarunt adeo, ut inter lites, conteritum tempus, in inveniendа veritate vix gradum facerent.

Et re sane vera licet Clar. Commentator observationem attullerit de lactatione per totam peracta graviditatem, non inde tamen conclusit vir prudentissimus, nisi quod *in pluribus* (sunt ejus verba) lac *maneat aeque bonum, ac copiosiorum primis graviditatis mensibus*. Ex his ergo aliisque ejus verbis loco citato colligo et solis primis mensibus possibilem credidisse lactationem, et eam

 ideo

ideo, quia in lactis bonitate confisum. Quae bonitatis conditio licet habeatur ad sensum, ubi non aeque respondeat ad usum, corruet opinor maximum possibilitatis argumentum.

Non sine animi dolore fateor mihi modo veniendum esse ad observationes binas Medici ac Chirurgi nostratis, quem in honoris causa habeo.

In historia mulieris jenuensis, lego huic duobus infantubus lac in simul praebenti, infantem proprium trimestrem morbillis extinctum fuisse. An hic aliquid mulierem in errorem induxisse potuit, se lactis copia exuberantem credentem: proprius vero infans nutrimento fraudatus hac de causa morbilloso ferendo conflictui impar factus succumbere necesse habuit? Ignoro praetera exitum, futurum, quem scire cuperem de lactato infante exposito tempore graviditatis (*o*). In hoc

---

(*o*) *Animadverto infantes expositos parentibus saepe ortos labe venerea inquinatos, quae, licet tarde quandoque evolvatur, licet sub diversorum morborum larva ludat (ut de rachitide taceam, atque de scrophulis), non sane delebitur per lac mulieris gravidae factae in infantibus jam satis, uti opinor infelicibus.*

Neque fidendum nimis, si quando gravi-

hoc infimae sortis mulierum genere lucri causa demisse potuit aliquid de veritate eorum, quae narrata fuerunt.

Ad alteram historiam, quae de muliere nostrete refertur dicam angustam huic fuisse rem domesticam, lac bis tantum in die per ubera datum fuisse, pluries noctu. Vescebatur ne infans et lacte aliarum mulierum huc illuc gestatus, uti apud nos fieri assolet ab iis, qui vel parco utantur lacte, vel intempestive conceperunt? an vero forte (pel poppatojo) caprillo, aut vacino sale condito? Haec mihi dubia nascuntur, quae apud nos in more lactantium posita video; quae nisi in allatis observationibus vera, in plerisque saltem impo-

ste-

---

vidae simulque lactantes forte fortuna neque abortiverat, et infantes pepererint crassos, pingues, robustos; ubi audiamus P. Stork de mulieribus, quibus abortiendi facilitas caveri possit .... „ Tales autem foemine pariunt „ plerumque infantes crassos, pingues, robu- „ stos, ut hi tales manent per plures men- „ ses, postea vero emaciantur, lassi fiunt, „ et membra pendula gerunt; tandem subse- „ quitur pessima rachitis, quae raro huc „ usque sanari potuit. " Ann. Medic. 2. p. 211., 215. Edit. Vindob.

ſterum ad vertenda facile eſſe non immerito dixerim (*p*).

De catella a Groaſio relata quam paſtam nondum lacte ad mammas copioſo ſcatentem ſugebat felis; quae diu vetitum coitum, proindeque diu jam expetitum inita repudiabatur a fele inde, non ſolus coitus, ſed et ſequuta conceptio; licet a ramazinio non nomintata: in cauſa eſſe potuit, cur ſuctio recuſata impoſterum fuiſſet a fele. Etenim ſciendum felis

---

(*p*) *Verum interim eſt dari mulieres, quae duplicem alunt in utero foetum; ſed aequae verum ex Bartholinio ac Swietenio (T. 4. p. 2. pag. 482.) nulla dari ſigna, quibus conceptus internoſcatur: gravius itaque abortioni periculum imminebit a celebrata lactatione, ſi mater gemellos concepta ſimul ubera praebeat.*

Audio hic aliquem reponentem ante dimidium exactum graviditatis tempus nulla dari certiſſima graviditatis indicia, ac proinde huc uſque licere matribus ubera infanti praebere.

Reſpondeo indicia graviditatis non omnino certa, aſt ad tempus permanentia, vel a vera pendere graviditate, vel a cauſa morboſa: itaque utrumlibet ponas, optimum erit conſilium mulieris ita conſtitutae a nutricis obeundo munere ſuperſedere.

stomacho justo fortasse sensibiliori donatus facillimo negotio vomere, unde et facilius lactis vitia a cane praeter ordinem sugens novisse, ac arcuisse potuit.

Quod vero infantes non aeque repudient gravidarum dulce, momenta rationum superius allata docebunt satis, nec enim insuper venena omnia, aut pleraque quod non recusantur a palato, aut non vomuntur, venena esse desinunt.

Ex iis, quae huc usque protulimus concludi posse arbitramur, quod, ut sciamus utrum lac matris in utero gerenti infanti datum nociturum sit nec ne, requiri, ut infans, purgatis observationibus, nullo alio utatur alimento, nullo alio sive humano, sive belluino lacte, suoque vivat et gravidae matris vel nutricis lacte bono ab uberibus sucto. Ast audio hic clamare prudentes omnes *experimentum periculosum*: periculosum *matri*, *foetui*, *infantique* lactato; tres uno tempore individui societati aeque cari plenam ludentes periculi oleam.

Quod ex huc usque dictis mihi satis constare videtur: ubi autem non aeque constet aliis: ii observationes in medium afferant lege paulo ante sancita instituas, nullum pro tribus individuis discrimen exhibentes; et mecum iis planae consentientem habebunt; secus necesse erit, ut consentiant ii mecum.

Huic

Huic de damnis lactationi gravidarum capiti finem non imponam antequam monuerim capite sequenti utilitates mihi esse expendendar quae ab ea exspectari posse videntur, simulque cum damnis comparandas quod opus aggredior.

CAPUT IV.

De utilitatibus, quae a lactatione gravidarum non intermissa sperari posse videntur.

UTilitates lactationis a mulieribus gravidis factis non intermissae ad bina potissimum capita revocari possent. 1. Ad praecavenda incomoda graviditati peculiaria. 2. Ad praecavendos morbos a lacte sacernundo, secreto, ac in mammis congesto, demum secreto jam et ad viscera, vel partes inde alienas retropulso.

Damna gravidis peculiaria vel a sensibilitate, vel et irritabilitate Halleriana alterata pendere jam capite superiori diximus, vel a plethora seorsim, et cum superioribus conjuncta, vel demum ab uteri sensim undecies mole aucti.

Ergo a lactatione peragenda necesse erit, ut mulieres utero gerentes vel ab iis immunes fiant, vel vero ut quam minime afficiantur. Ad damna mole pendentia vix quidquid prodesse posse lactationem, pronum est intelligere, utilitates itaque nervosi, atque irritabilis sistematis alterationem respicerent, respi-

picerent plethoram, binas morborum scaturigines in pregnantibus considerandas, vel seorsim vel separatim sumptas.

Nauseas itaque vomitusque gravidis molestos sepe ad abortionem usque rigores, convulsiones simplices, vel et epilepticas, *picas*, *malacias*, phlogoseos initia aeconomiam infestantia aliaque mala capite de graviditate indicata; capitis dolores, vertigines, haemorrhagias uterinas, aut haemorrhoidales, aut etiam nasi, quae modum et vires excederent in phoetus detrimentum vel praecavere, vel curare deberet, vel saltem cum minori cessuros graviditatis damno facere lactatio tempore graviditatis instituenda, continuanda.

Ut res luculentiorem edipiscatur lucem videamus quid sit lac e mammis secretum, quando bonum a natura separari solitum quibus de causis justo etiam plus, diutiusque ad mammas proveniat.

Lac e mammis secretum humor est animalis, quo nullum est humanum fluidum minus elaboratum, a chilo enim parum differre notum est diuque ac copiose e faemina vegeta emulgeri posse absque sensibili detrimento (*a*). Sed e substantia confici solet, quae in

(*a*) *Tissot P. perpetuaque summi honoris, amorisque memoria mihi excolendus Praeceptor. Testamen de manustupr.*

in sanguinem per vires circulationis convertenda est in organorum ac partium hominis reparationem. Paratur ex chilo in quem perficiendum insudarunt jam viscerum chilopojeticorum vires. Quo majori ergo copia separabitur, eo minor pro nutritione restauranda restabit, eoque plus iterum, iterumque a chilopojeticis insudandum visceribus ut novum parent. Quaero jam sensibilitatis, ac irritabilitatis alterationes hac de causa minuetur, aut vero augmentum capiet? Sane fibrarum debilitas a memoratis causis augeri solet, unde frequentior nervosae mobilitatis, irritabilitatisque causa morbosae, unde frequentes adeo fiunt bortiones, apud nostras potissimum regiones.

Lac . . . vix secernitur nisi post partum; quod insigni inter uterum et mammas consensui tribuendum est (*b*). Nos superius in historiis allatis vidimus gravidam affecta morbo copiosum vitiosumque post quintum mensem lac e mammis in prima gestatione exhibuisse, vix ullum in secunda, in reliquis iisque felicioribus, in quibus manifestissima non defuere plethorae indicia prorsus nullum. Ex meis ergo observationibus lac e mammis fluens tempore graviditatis inter morbosos referrem potius affectus, cui nostrae sententiae

(b) *Gregory l. c.* §. 718.

Hippocratis non adversatur auctoritas inquientis, „ mulieri utero gerenti, si lac multum „ e mammis effluat, foetum imbecillem significat: si vero mammae solidae fuerint, foetum significant saniorem. (c) Quae corrupturae sunt foetus, his mammae extenuantur." Quod imbecillus fuerit infans in primo partu a me recensito capite de graviditate testatur satis, quod solam quindecim dierum vitam vixerit.

Ne vero fidamus nimis copiae lactis ad mammas gravidarum fluere soliti lac praebentium sciendum „ infantem non modo lac e „ mammis suggendo ducere, sed ejus secretionem promovere aliquando etiam ut „ videtur, ubi nullum fuit antea lac venire facere " . . . . ac si nutrix infantem nutrire pergat, lac manebit forsitan per plures annos. (d) Hinc est quod, lactationem gravidis continuandam suadentibus probe pensitandum sit non tantum *quo natura vergat*; verum etiam quo per suctionis *artem* vergere cogatur.

Quandoquidem vero negari non possit per lactationem optime occurri posse et plethorae ejusque damnis in gravidis, et etiam phlogoseos initio illo quod et apud nostrates

utero

(c) *Aphor. sect. v.* 52. *et* 53.
(d) *Gregory l. c.* 717. 809.

utero foetas locum habere observatione nobis constat; nihilo tamen minus nemo est qui huc usque certam sanciverint regulam, qua nosci possit quando plus justo, quando satis dumtaxat sugatur ab infante lactis, quin mater una cum foetu clanculum ita detrimentum pati possit, ut dum per sensibiles se notas illud patescat, tunc sero jam nimis de intermittenda lactatione moneamur; damnaque minus prudentis auctoris immi ritus fortasse inde luat cum matre foetus, ut de lactato taceam modo.

Profecto infantes dum lac a matre utero foeta sugere debent, jam aliquanto grandiores facti sunt, adeoque plerumque lactis sugendi dulcedine affecti, ut morosi, atque importuni ejulitibus diu saepe, noctuque ad usque matrum, licet non gravidarum, magnam inde sequentem imbecillitatem. Nocturna autem haec diurnaque adeo frequentia lactationis incomoda impune feret mater utero gerens, impune foetus in utero degens? Raram hanc, si quis inter millenas unam invenerit, *nigroque* dicat mecum *simillimam cicno*: quam ad excipiendas, non ad confirmandas lactationis regulas valere sapientius dictum habebitur. Nonnullas enim et a *Mercuriali* scimus „ esse „ mulieres sanguineas, atque *ita a natura* „ *constitutas*, ut etiam si bene valeat foetus, „ quem in utero habent, multum tamen la-

„ lactis

„ lactis producant, et effundant pre copia,
„ quas ab aphorismo excipi non est dubitandum " (apud P. Pastam in aph. 52. sect. 5.)
Sed aphorismum apud nos confirmatum observationes a me superius allatas satis docebunt, non enim requiritur tantum ut sint sanguineae, sed etiam ut ita a natura constitutae; nam si id a solo penderet sanguineo statu praegnantis, in nostris observationibus, ubi majora plethorae indicia, ibi lac ad mammas omnino nullum non fuisset, quod in prima gestatione copiosum vitiosumque fuit dum mulier enarratis vexabatur morbis. (cap. de graviditate).

Satius propterea tutiusque consilium ducerem ubi de morbis ageretur in gravidis a plethora oriundis, aut a phlogoseos initio ad v. s. justis sub indicationibus, regimenque leniter antiphlogisticum confugere, non omissa corporis exercitatione, post methodum antiphlogisticam viribus ac circumstantiis accomodanda.

Licet namque, ceteris paribus, multo magis debilitet v. s. quam lactis per suctionem evacuatio; tamen observatione docemur minori cum periculo memoratis incomodis per phlebotome obviam iri, quam per ipsam lactationem tres eodem tempore individuos respicientem.

Non ignoro interea paucas dari mulieres

utero

utero foetus, quae optima utuntur valetudine; sed hisce ego non sine periculo lactationem suaderem; corpora enim summum bonitatis in valetudine attigentia, cum in melius progredi non possent, necesse esset, ut a lactatione in deterius vergerent.

„ Neque enim profecto rarum est,
„ plures morbos, praesertim quales a di-
„ stributione sanguinis abnormi originem
„ ducunt, arceri, vel depelli, donec mu-
„ lier uterum gerat, vel postea infantem a-
„ lat " (*e*).

Exacto nunc de utilitatibus, sermone quae a lactatione expectantur contra morbos graviditati peculiares, restat de iis dicamus, quae ad praecavendos morbos a lacte vel adhuc secernundo, vel in mammis congesto, vel demum retropulso potiori jure timeri posse videbuntur.

Non enim hanc mihi provinciam ingredi licebit, nisi non nulla praehabuerim, quae *lactearum metastasium* indolem luculentiorem exhibeant.

Missis interim lacteis ad mammas congestionibus, de quibus paulo infra sermonem habebimus, ferar me nunc ad affectus morbosos, qui vel a chilosa redundanti linphatum gravidis, tum puerperis mulieribus familiari,

---

(*e*) *Gregory* §. 810.

neque adhuc ad mammas perventa; vel a lacte e mammis non excreto introverso, atque cum linphaticis sibi affinibus magis humoribus solumodo consociato, vel et corrupto suam originem habeant.

Linphaticum vasorum sistema post Bartholini, Mechelii, Monroi, Hewsonii, Falconarii, ac potissimum Gruisanchii, atque Mascagnii nostri recentissimi institutis experimentis latum adeo in opere inhalationis dominium tenens, quanta non hic lumina suppeditat in intelligenda causa, cur sub certis conditionibus, annique temporibus copiosius cum chilo ab ejusdem generis canalibus proveniente congeratur, linpha conjungaturque. Ex quo facile fieri crediderim, ut metastases, quae tum gravidis, tum puerperis fierent antequam linpha lactiginosa per mammas in verum lac crederet, eae non hisce dumtaxat peculiares, ac privatae forent, sed et ceteris mulieribus, nec gravidis, nec foetum enixis, immo et virginibus, et viris communes: idque potissimum sub pituitosis annorum linphaticis constitutionibus, mulieribus utpote succosioribus, virique ad phaemineam accedentes indolem magis frequentibus. An ne ex hac probe non attenta distinctione tot inter se dissidentes auctores circa naturam metastasium vulgo lactearum. Fatendum est in gravidis, atque puerperis conditiones a natura constitutas esse,

se, quae majori chilosaelinphae copiae gignendae faveant, quare eae metastasibus hujusce pateant magis, a quibus tamen et reliquae mulieres, et viri non sunt immunes.

Observationes habeo non indignas, quae hic loci referantur. Quarum attenta origine, symptomatis, successionibus, ubi in gravidis eae accidissent, negasset nemo eas a lacteis fuisse metastasibus.

Innupta 38. annos nata ab ineunte usque pubertate colicae obnoxia singulis fluentibus mensibus, non raro convulsionibus comitatae sensuum, ac rationis usum auferrentibus; habitu corporis strigoso, pallescenti, statura grandi anno 1784. Martio mense miliarem passa est febrim intra quatuordecim dies v. s. emesi subacidis, vessicantibus ad crura et interscapulum bene judicata clisteribus non omissis, durante hac febri torquebatur saepissime colicis doloribus; duram jam exhibebat ad regionem lienis obstructionis notam mole non grandem, liquoribus spirituosis pro more indulgebat. Anno. 1788. verno item tempore, et mense Martio ineunte iterum decubuit abdomine mole augescente jam ab aliquot mensibus; ab animi pathematibus enim menses erant parciores facti; doloribus premebatur lumborum summis, circa umbilicum, febri parca, pulsibus lentis exilibus; erat alvi stipticitas summa, faeces argillaceae albae, du-

rae, horror semel in die levis invadens, lingua albescens, nausea vomitus ad omnia fere edulia ac potulenta, excepta Tamarindorum pulpa, et roob. sambucino; alvus vix nisi clisteribus parens. Leypothimiae frequentes. Serum lactis per clisteres, fomenta cicoreata et malvacea vix quidquam boni fecerant, Opium aegrotantem pene in agonem conjecerat a Medico propositum in consilium vocato. Emplastra discutientia alia a chirurgo in usum vocata vix quidquam emolumenti assequuta. Ventum est a me ad Lactis usum vaccini, quod ad haebdomadam adhibitum ore ingestum alvum diu jam adeo segnem solutam fecit, et amurcosam. Lactis item fastidio tacta ad pillulas ventum est diu continuatas ex trium granorum aequis partibus constantes extracti cicutae, et saponis accidi ex oleo ulivarum, et accido vitriolico l. a. parati: exterius ad emplastrum cicutae diu pariter continuatum, restauratumque. Gummi assae foetidae ad grana duo in solut. gumm. arabic. morbum exacerbavit. Liquor mineral. anodin. aphm. ad gutt. xx. in Aqua melissae stomaco, ac lypothimis medebatur. Hac diu continuata metodo abdomen mole minutum factum, licet universim durius. Venimus ad cremoris tartari usum a dr. ii in aquae ciathum ebullitione solutum, ac calide sumtum singulo mane per mensis spatium, alvus liquida virescens quoti-

tidie facta, pruritus ad cutim, dolores ad pedes, rigoris sensus habitualis, albus e pudendis fluor diuturnus inde, stato tempore menses albi primum, dein cruenti facti, rem eo adduxerunt intra biennium, ut nunc adhuc bene valeat corporis habitum feliciorem acquisita, languoribus tamen, ac leypotimis ad intervalla obnoxia, nec non colicis doloribus jam inde a pubertate singulis sibi mensibus, dum catamenia fluunt, familiaribus, usu fortasse spirituosorum, factis.

Profuisset huic matrimonium, atque eo magis, quo aetate juniori initum.

Regnabat anno supramemorato constitutio pituitosa pleuroperipneumonica.

Morbum in allata historia fecit pituita congesta sub constitutione animique pathematibus, omnia pene abdominis viscera obsidens, osculaque uterina, mensium defectus a lentore sanguineo pituoso, judicium a natura per cutim pruritu affectam, doloreque ad pedum articulos tentatum fluor albus absolvit. Nil mirum ubi natura per mammas sibi criticam elegisset viam, quod hic non fecit. P. Enim selle et Plenk cum Robineto a mensium suppressione lac ad mammas parari animadversum est. (*f*) Linpha haec in sangui-

---

(*f*) *Pyrethologia. Plenck Med. Chir. Forens. Robinetus apud Burserium de febre lactea puerper.*

ne pituitosa redundans mammarium glandularum actionem expertam quidni in lac converti potuerit?

Dummodo itaque animalis economia in conditione inveniatur, qua *principiis mucagine crassiori, nec tenuata scatentibus abundet, seroque superfluo onustis* (Lorry), ut congestiones ad viscera, articulor cutem, fieri valeant, omnino congestionibus similes, quae linphae lacteae tribui consueverunt. En altera morbi historia.

Eodem anno ac mense annorum 36. mulier tumorem in abdomine jam diu gerens a partu contractum ascendebat hic modo, modo descensum intra abdomen faciebat, quod eo me adduxit, ut *omentalem* crediderim) languioribus, collicis, vomitus, animique defectionibus premi consueverat ad non rara intervalla temporis, habitus corpori erat laudabilis; ad hanc accersitus affectam inveni acutius, quam virgo superius memorata, premebatur horroribus frequentissimis, vomitubus ad omnia exhibita, doloribus abdominis summe tumentis ad tactum vel minimum dolentissimi saevis, febri, pulsibus latentibus, vomitus amarissimi saporis erat, porracei coloris, aquei, nec non austeri saporis v. s. bis intra biduum repetita, clisteribus ex roob sambuco et nitro in decoct. malv. ac camomill. terque quaterque in die repetitis, liquo-

ris

ris anodin. guttis aliquot cum aqua melissae res intra septem dies adeo in melius cessit, ut omni sublato febris metu, eductis per alvum pituitosis multis albumen ovorum referentibus rem omnem solo commiserimus emplastro de cicuta exterius applicato, pillulisque ex extracto cicutae intus sumendi, omisso sapone acido ab acidorum in aegrotante redundantia. Sic ante quarto decimam e lecto surgens melius non bene habens diaetham, ac medicamina pro more neglexit. Vixit solitis obnoxia aerumnis ad duos annos. Demum anno 1790. verno tempore tertiana correpta venae sectionem administratam habuit, ast solutis noctu faciis aegra non conscia facta plurimum sanguinis amisisse narrabat, febris inde continua horifica facta, anxietatibus, angustiis pluribus stipata in agendo spiritu, tumore abdominis antiquo nullo prorsus facto, inter saevissimas musculorum omnium pene dixerim, ast diaphragmatis potissimum convulsionibus strangulantibus die ab incoato morbo nona vivere desiit. An ab amisso sanguine inanitio, tumoris diu stagnantis materiei iterum in circulum vocatae corruptae, alienae irritatio in causa fuit tantorum cum morte malorum?

Tertia mulier annorum 17. eodem tempore ast e loco dissita, estque e pauperum familia a quatuor quinqueve mensibus nup-

tum

tum data pastacei corporis habitus de graviditate suspicans siquidem a tribus lunis cessarent menses, febri praehensa est cum doloribus ad totum abdomen tumidum ac tensum, tactum vix ferens jussi v. s. serum lactis clisteres, fomenta carminantia et amolientia, res intra quatriduum in melius versa videbatur, neglecta inde dietha, ac curatione, meque non amplius admonito nisi postqam horroribus cum febre quotidie prius invadentibus, inter exacerbatos, dolores 14. aut 15. ab initio morbi die per umbilicum, sibi data porta ruebat magna copia corruptae linphae faces olentis albo flavicantis una cum febricula; quibus ita constitutis ad Nosocomium delatam intra dies 40. obiisse scivi nec gravidam factam. Habemus hic morbus a congestione in duplicatura peritonaei.

Tres hasce historias attento qui animo perpendat, non ne ubi in puerperam, aut gravidam incidissent mulierem a l cteis metastasibus morbum ortum dixisset? Et tamen non fuere nisi a dominanti per temporum constitutionem linphae pituitoseae redundantis vitio.

Ergo non injuria concludam non tanta timenda esse a congestionibus in gravidis potissimum a linpha oriundis, quae nundum pertingerit mammas. Vitia enim ab hac pendentia pluribus communia sunt individuis, nec gravidis, necque puerperis omnino peculiaria.

Anne

Anne exitialis adeo puerperis epidemia a Clar. (*) Swietenio animadversa solo lactis vitio, an pituitosae linphae redundantis vitio a praegressa anni constitutione mulieribus utero gerentibus inducto tribuenda? Qua deficiente dispositione temporibus inducta gravidae, ac puerperae felicissime sua obire tempora observantur.

Vidimus huc usque chilosam linpham in lac versam nondum posse dici, antequam mamillarum subierit glandulas; quem admodum bilis nunquam dici poterit, quae haepatis actionem non ad huc fuerit experta, quod de secretis humoribus omnibus dictum accipiatur. Quum vero nervosum, atque irritabile sistema maximum agens in organis esse secretoriis dixerimus neque alia in secretioni dicatis visceribus ratione ab adpellentibus humoribus afficitur sistema sensibile, et irritabile, nisi ea, qua lux in oculis illapsa visum, undulationes aeris auditum, sapidae particulae palatum, superficies tactum, halitus per aera volitantes nares affici subsequentibus inter, se hinc variis sensationibus, illinc humorum separationibus. Hinc est, quod sub conditionibus a quacumque causa in aeconomia inductis, quae gravidarum, atque puerperarum conditiones affectent, major utique fiet chilosae linphae praeparatio. P. Sarcone in sua pituitosa epi-

(*) *Comment.* §. 1329. *p.* 611.

demia Neapolitana nervosa symptomata sensibiliora, ac numero plura vidit, quam symptomata febrilia.

Modo videamus quo tempore graviditatis natura devolvat humores in lac vertendos ad mammarum organo.

P. Lorry inquit ultimis tantum graviditatis mensibus redundare mucosum lacteum humorem in gravidis. Nos vero vidimus e quinque gestationibus morbosam unam et priman a quinto mense lac fudisse e mammis vitiosum in secunda vix guttae aliquae a mense septimo: tres gestationes reliquae feliciores sine lacte at non sine plethorae manifestis indiciis. Ergo naturam sectando ducem vel quinto, vel et tardius gravidae incipere deberent infantes lactare. Sed audio Mediolanensem D. Pallettam, qui in notis ad Rosen ait quinto graviditatis mense ablactandos esse a gravidis infantes diarraea enim, maciesque inde a gravidarum lacte oritur.

Inquiet aliter sentiens nos loquimur de mulieribus, quae ubera gerunt lacte plena etiamsi pregnantes. Sed ego monitum vellem, ut ad ea attendatur, quae retuli inter causas, quibus lac ad mammas provenire addiutinum etiam tempus solet, simulque me noscere foeminam, quae jam ablactaverat infantem proprium, quaeque nutricis munere suscepto, lac, quod prorsus abfuerat rediit, jamque ab 8. mensibus lactare pergit. Vel

Vel ergo medicus naturae imperabit, quin eidem obtemperet, vel res hic aliter omnino accipienda a suasoribus lactationis in gravidis, quam accipi video.

Diximus non tanta metuenda esse a linpha in lac vertenda antequam subierit actionem mammarum, sed ponamus metastases hujusmodi, lacteas vulgo dictas, omnino dari; tempus quo hae fieri solent, statuitur in priores post partum menses a praestantissimo Selle (g) harum sane fautore, ubi inquit „ Periodus metastasium lactearum plerumque in „ priores menses post partum incidit. Eae „ sunt, uti dictum, ante partum rarae, ac „ in ablactatione partim lac non magis tam „ superfluum adesse videtur, partim loca, in „ quibus tales metastases fieri solent, dispo„ sitionem ad hoc amiserunt.“ Et rarae itaque sunt ante partum, & post partum in ablactatione duplici de causa minus faciles: et quia lac spontaneum minus copiosum, & quia partes excipientes has metastases dispositionem amiserunt.

Quid hinc de lacte in mammis secreto, et iterum in circulum retropulso dicemus? Corrumpitur hoc iterum in circulum actum, & corrumpit humorem indole affinem sibi, immo licet incorruptum tamquam

ex-

(g) *Clinica T. 2. p. 146.*

extraneum habetur corpus, nec fertur impune, unde horrores creat; febres, diarrheas, sudores acidum olentes, saepe miliares, urinas item chiloso-lacteas: per umbilicum, per uterum, excretiones hujus generis: ad cerebrum decubitus, ad pectus, ad abdomen, in pelvi inter musculos abdominales ab ingenue ad os couigis, ad extremitates.

Sub felicibus supra memoratis conditionibus, quae rariores in gravidis, licet actu lactantibus, metastases hujusmodi constituere debent (nec enim gravidae fiunt mulieres nisi protracta jam ad menses lactatione: neque gravidae fortae majorem acquirunt lactis copiam humoribus ad uterum simul ferri coactis: organis, ut dictum, dispositionem amissis), nobis omni erit conandum ope, ut 1. minuatur affluxus secernundi 2. evacuetur excretus. An hic v. s., purgantia lenia antiphlogistica, dietha parcior facta, moderata corporis exercitatio, mundities satis valebunt, presso, vel per mulierem ad id aptam sucto, vel instrumento si quod in mammis paretur, lacte ne retrocessionem faciat? Sane quot non mulieres de conceptione monitae infantes ablactant, quin aliquid oriatur mali, hoc sane apud ruriculas simplici utentes victu, laboribus exercitatas frequentissime evenire testantur innumerae observationes. Natura enim non impedita ab erroribus in sex rebus connaturalibus sat sibi

va-

valet proſpicere ſine valetudinis damno per orinas, ſudores, alvum, ſalivam, inſenſibilemque perſpirationem.

Mancam profecto nimis haberemus artem natura ad id ſibi non pari, ubi ſine lactatione concedenda gravidis id praeſtare non poſſemus.

Hic tamen ſilentio non praeteribo peculiarem habere animadverſionem ſuper cutaneos, eoſque cronicos morbos, quas a turgore lacteo corrupto ad cutem depurationem acto oriri aſſerit vir tractatu de cutaneis morbis hercle optime merito Lorry. (*) Hic etenim hac de cauſa ſcabioſam peculiaris indolis affectionem, nec non cruſtoſam foedam ad faciem, et cutim univerſam ſenſu, et aſpectu ſaepe orrendam meminit lacteo ſaepe acore univerſam linphae craſſim labefactantem, niſi fluentibus menſtruis deleatur curatu difficillimam. Hac affectis diſcraſia dentium infici nitorem, oſſeam per urinas deponi cretam, oſſa moliri.

Sed hujuſmodi affectibus obnoxias refert gravidas ultimis tantum geſtationis menſibus, puerperas a partu: immo facilius curari eas dicit quae citius inita graviditate lenticulatae evadunt (has tamen lentes ad lacteos non refert morbos, ſed a compreſſione petit). Super quae animadverto ego ab eo viro ſummo ſcabioſum affectum pauperculis infimae ſortis,

(*) *L. c.*

sortis, tribui quibus saepe mutanda indusia non suppetunt, quae domorum incolunt senta, quaeque proinde inconcinnam rudemque dietham adhibent. Quae ubi demta ponamus, an cutis ultimae coctionis humor vitiabitur a lacteo turgore adeo facile, an vero et per hanc, et per alia colatoria sibi viam parabit saluberiorem?

Crustosum foedumque malum divitibus non parcens primi puerperae formosae ortum narratur, ast cui caesaries cum cute capillata perspirationi adeo favens ante partum sale plurimo condita contestaque ad plures dies linteis fuerat. Hoc sane prorsus improbando more vetitum ne ut pro magna parte e cute sibi viam exhalando faceret redundas humor, minori inde copia relicta, quae alias sibi vias secus aperuisset, ubi per salis condimentum non indurata cutis esset? vel saltem ad cutim ipsam indeque umorum crasim minorem inussisset labem? Hos tamen casus inter oppido rarissimos ponit, eosque puerperis propriores non lactantibus, quam gravidis id muneris non obeuntibus dicere non dubitarem.

Negari praeterea nequit gravidae, et dentium saepe nitorem amittere, quinimmo odontalgias saepe pati, vitreaeque dentium substantia destructa cariem. Sed hoc utrumque non ab acore lactei turgoris petendum semper, fluxiones enim a plethora sanguinea

gra-

gravidis frequentes, interrupta ad dentis nutritione hunc ad cariem disponunt labe prius quandoque tincto dente, quandoque non item.

Ossium vero mollitudinem, urinamque ferentem osseam cretam quod respicit: quantis non morbis communem esse patet ex nota (*e*) ad caput de pubertate inserta? quoties videlicet sacharina redundet phosphorico sale fortasse vehente acidi copia. Ex quo non incongrua accedit ratio iis, quae superius a me mox dicta sunt de metastasium lactearum vulgoita dictarum indole non solis gravidis, aut puerperis, peculiari, sed, et temporibus aliis et viris, et faeminis communes saepe. Quod tum potissimum verum eit quando humor metastasticus, ut ita loquar, ab indole sanorum humorum defecerit. Scirrhi, cancrique hoc satis testantur.

Quaero nunc ego, an ne puerperam aut gravidam, morbis supra memoratis sive scabiosis tantum, sive foedis crustosis crasim omnem infectantibus, suadebimus ut lacte nutriat? Minimae gentium, lac enim corruptum est: ergo tota res vertitur in praecavendis morbis hujusmodi, sed inquio ego cum quae facta tollunt, etiam facienda praecavere valeant; quidni sola v. s. justi sub indicationibus, dietha tenuviori, aperiente, exercitatione corpori justa, vitatis potissimum acribus,

alvo

alvo laxa servata Hippocratica, dum cutis stricta est non avvertentur in gravidis morbi, qui in puerperis per lactationem celebratam, ast non gravidis, perbelle etiam praecavebuntur?

Puerperis vero lactatio non ita universim concessa credatur ad memoratos morbos, uti ad albos fluores, lacteosque e mammis diabetes a Boerhaavio ita dictos; ut non habeantur et iidem in faeminis ubera praebentibus, atque a causa contraria oriundi (confer initium cap. de damnis &c.) Summus vir in praelect. casum memorat mulieris, quae diu lactarat. (*b*)

Absoluto jam de utilitatibus sermone quae a lactione expectatur gravidis commendata contra morbos a lacte, vel secernundo, vel secreto: superest nunc ultimo dicamus loco de morbis a lacte in ipsa mammarum substantia congesto, ubi non sugatur, ibique restitante tumores inflammationes, schirros, cancrosque saepe aut lungas ulcerationes producente.

De hisce autem paucis me expeditum volo, siquidem agitur de praecavendis mammarum morbis: inquio minuto ad hasce humorum affluxu per methodum jam bis superius me-

---

(*b*) *Apud Tissot M. des Nerf.*, *p.* 159. *de caus. physic.*

memoratam, necessario, minuatur oportet congestionis periculum, quod ubi non sufficiat, ut lactis adhuc aliquid intermissa licet suctione parare soleant mammae: id non per pressionem, sed per suctionem a muliere ad id apta peragendam, sensim sine sensu minutis vicibus, lac sane evanescet, quin mammarias damno afficiat glandulas obstruendo. Hac simplici methodo nec semper in toto suo ambitu necessaria plures ego mulieres gravidas factas sine mammarum aut alterius generis damno inde sequuto a lactatione desiisse certo & expertus scio. Quod pertinet ad jam natorum inde morborum, quos memoravimus de mammis, ad Chirurgorum operam relinquendum ducimus, nec enim ii nostrum scopum attingunt.

Inquiet autem aliquis, si ergo ex huc usque dictis infantes a mulieribus utero foetis omnino ablactandi, quid ubi conceptio sequuta infantibus dumtaxat trimestribus, aut quadrimestribus (serius enim facilius ablactationem patiuntur ait Wanswieten): respondeo tunc vel ab artificialem lactationem veniendum (i) esse, vel alienae nutrici, concredendos esse, vel demum uti apud nos fieri non sine fruge video lacte mulierum modo huc, modo illuc sucto, lacteas ophas adhibeant matres, cui

cum

(i) *Stoll. oper. posthum.*

cum sale tantillum incoquatur farine in furno tostae in cartae cucullo obvolutae. Hoc ne contra medicas regulas staturum habeatur, dicam me plures hoc in loco ubi, mulieres parco utuntur lacte e mammis sugendo, sed binos potissimum pueros crescentes videre septennem alterum, alterum vero quinquennem ambo crescentes, eaque valetudine utente, qua alios video e lacte tantum materno altos (*l*); qui non alia sunt educati ratione, quam ea, de qua mox sermonem habui. Si autem hoc non male cessit iis, qui a prima usque nativitate ad pueritiam, quid dicendum de iis, quibus rarissimis sane contingat ut post tres quatuorve menses ubera sugentibus matres gravida fiant? Pro his minus sane periculum imminebit.

(*l*) *V. Cel. Scoenmenzel Programma de faeminis quibus lactatio non convenit. Heidelbergae* 1780. *n. ultima. Apud Plenk Ostetr. p.* 92. 93.

APPENDIX.

Est etiam cur nonnulla dicamus de morbosis affectubus, quibus foetus etiam in matris utero degentes obnoxios esse certissimis constat observationibus; quibusque vel mors infertur iisdem, vel morbida cum morboso incremento promovetur vita.

Hosce ego morbos ad duo potissimum capita referri posse crediderim: 1. ad humorum affluentium copiam excessu, defectu, vel qualitate peccantem: sive haec seorsim accipias, sive errorem in qualitate cum excessu, aut defectu conjugas: 2. ad eorumdem humorum abnormes motus ab interna causa proficiscentes.

Huc refer placentae crassitiem justo majorem, foetum vel suffocantem in suis primordiis, & molam legitimam constituentem, vel abortum promoventem; huc partiales, vel universales morbosas ejusdem concretiones, tumoresve schirrum mentientes, huc hydatites, vessiculasve placentam, aut funiculum obsidentes; nunc plures, nunc vero pauciòres, usque eo saepe mole acutas, ut foetus exclusionem promoveant intempestivam, aut ejusdem nutritionem inhibeant; huc demum haemorrhagias foetales dictas internam agnoscen-

scentes causam; monstruosos huc foetus, acephalos, bicephalos, semicephalos, bicorporeos, quadrupedes, idrocephalicos cum vel sine spina bifida.

Nunc age: morbi, quos ob defectum humorum, sive sanorum, sive peccantium oriri ponamus, ego sane non video quonam pacto per subsidium lactationis curari vel praecaveri possint. Restarent ii qui a nimia humoris boni, aut vero depravati proficiscuntur: ast ubi hi morbi a depravata fierent humorum copia (quae omnia non nisi a matris sensibilibus conditionibus coniicere liceret) sane lactatio ipso adversariorum consilio vetaretur. Morbose itaque afficiatur foetus a boni laticis in sanguinem convertendi copia justo majori, nonne jam mox superius monitum habuimus alia, eoque securiora auxilia suppetere contra morbos a pletora uriundos, quin ad lactationem venire sit opus; cujus auxilii mensuram (misso etiam facto in praesentiarum lactis nocumento sugenti afferendo) in minuenda humorum copia sine abortionis periculo non ita facile sanciveris?

Abnormes humorum ad phoetum pertinentium motus interna de causa natos ab animi pathematibus frequentiorem sibi causam agnoscere fatebuntur Practici omnes, qui cum Joanne Baptista Morgagnio Italo nostro animadvertant nullam dari abortionum frequen-

quentiorem causam, quam quae a Pathematibus animi in matribus uterum gerentibus fiat. Verum enim vero lactatio concessa gravidis vel nullomodo pertinget animi pathematum causam, vel sane gravidas mulieres jam satis mobiles, atque irritabiles a sola graviditate fectas, chilopojetica fatigando organa, earumque turbando iam turbatas functiones, mobiliores, irritabiliores efficiet.

Sive itaque matres, sive foetus in utero, sive lac sugentes a mammis infantes spectemus: quum utilitates, quae a gravidarum lactatione expectantur securioribus artis subsidiis compensari possint; nonnisi reliqua erunt damna pro matribus a nobis recensita, pro foetubus, proque infantibus lactatis, valdopere pertimescenda: quibus intermissa lactatione sapientius obviam ibunt mulieres, cum se in utero gerere per solita moneantur indicia.

CONCLUSIO.

IN humana itaque constitutione jam heu? quantum ab optima degeneri facta monendum, gravius incumbere medico cordato, non ut ammissam tantum restituat valetudinem, verum etiam ut hanc tueatur, foveat, omnique ope satagat, ut vegetos pro marte suo inq. commune bonum aptos natos societati cives impertiatur. Ast a primo usque educationis physicae limine hic labor, hoc magni opus momenti exordiendum, spectatis videlicet attento, ac provido oculo matribus utero foetis simul ne lac licet ad sensus bonum infantibus praebeant, praeter enim memoratas historias (capite de damnis) plures testor sexennes jam, ac septennes factos imi ventris obstructiones, gerentes magnas, pallidosque adhuc nec sanam degentes vitam, quibus malorum origo lac a gravida matre licet pulcro bonoque ad sensus sucto accepta referatur oportet.

Ipsa variolarum inoculatio tamquam summum humanitatis bonum in praxim invecta fuit: verum attendamus ad monitum Ill. Stoerchii monentis „ ab unoquoque, etiam „ longe, lateque celebratissimo inoculatore,

„ licet

„ licet rarius infortunia observata sunt nemo „ ad hanc operationem cogendus, vel nimia „ eloquentia persuadendus est, sed res relin- „ quenda apud pueros voluntati parentum vel „ tutorum; apud adultos libero horum arbi- „ trio." (*m*) Recentissimus vero in Borrussia scriptor ac Clinicus Celeberrimus Selle audiatur, asserens „ propterea fortasse morbus „ variolarum insitarum est mitior, quia con- „ tagium non satis subigitur, sed in corpore „ remanet, & semina ad alios morbos relin- „ quit lethales . . . . 1. adhuc nondum est confirmatum, quod generatim mortalitas ho- „ minum per variolarum insitionem minuere- „ tur; & 2. non intelligitur, quare vario- „ lae insitae generatim essent mitiores, quam „ variolae naturales benignissime. . . . Quod „ si insitione facta quidem circa vulnus va- „ riolae quaedam prodeunt, nulla tamen ve- „ ra excitatur febris qua variolae erum- „ puntur, a contagio futuro non sumus secu- „ ri. Nam etiam in illis, qui variolis jam „ laborarunt, per insitionem variolae circa „ vulnus produci possunt. Novum argumen- „ tum nimiam morbi variolosi lenitatem dis- „ positionem ad contagium non penitus ex- „ tirpasse; & nisi epidemiae malignae, me- „ di-

---

(*m*) *Tralles usus opii*. *T*. II. *addenda*.

„ dici mali, tractatio prava, exercitium „ artis ignorantium aegro adstantium in morbo varioloso darentur, satius esset contagium expectare naturalie, quod non facile prius contingit, quam usque receptivitas ad hoc adaequata locum habet. (*n*)

Quibus ego nil addam attentissimo pensitandis, ac conferendis animo cum iis, quae superioribus capitibus dicta sunt, antequam matribus licet sanis, optime valentibus, mammosis, lacte ad sensus bono, ac copioso gaudentibus, ast gravidis factis lactandi morem apud nos saltem suadeamus; ne ab ipso vitae limine, quod religiosissimae cavendum esset, in hominibus experimenta per mortes, & funera facere velimus frequentiora, quam quae jam aequo plura in praxim invecta videamus, doleamusque. Nos Itali sumus, sequamur Hippocraticam cum Tissotiana Medicorum Italorum in tuenda, ac restituenda valetudine prudentiam. Felix qui potuit hanc nunquam pretergredi metam?

[*n*] *Selle Clinica p.* I. *pag.* 88. *& seq.*

FINIS.

Pag.	ERRATA	CORRIGE
4	faxes	faſces.
5	Aetatuumq.	Aetatumque
	Ventrem	Venam
6	Seorſa	verſa,
	obnoxios	obnoxii
8	(c) viſis	viris
11	adfuerit	abfuerit:
	perpetuoque	perpetuo
12	mandavi	———
	diviſe	———
14	luctum	luctam.
	(d) videris	videſis
16	[e] paulum	non parum
	eorum, jamdiu	eorum, qui jamdiu
17	primam eruptionem	primam menſium eruptionem.
24	greſſos	greſſus
26	celebratus	celebratas
27	ex hinc	ex his
	fluentes	fluentibus
28	[e] 378.	———
29	ſecuti	ſecuturi
	de morbi(mulier.	[de morbis mulier.]
	oſſo ſacro	oſſe ſacro
31	eximantur	examinantur
32	trimento	nutrimento
49	errantur	creantur
51	et	non
	vitum	vitam
52	lin. 16, me de	gravi-
	lin. 17 a gravi	a me de
53	copioſiorum	copioſum
55	noſtrete	noſtrate
	abortiverit	abortiverint
56	paſtam	partam
	Groaſſio	Graaphio

57	gravidarum dulce	gravidarum lac dulce
	ſuoque	ſoloque
	inſtituas	inſtitutas
58	expendendar	expendendas
59	ſacernundo	ſecernundo
60	vel ſeparatim	vel inſimul
61	alterationes	alteratio
	bortiones	abortiones
63	ſanciverint	ſanciverit
	immiritus	immeritus
66	crederet	cederet
	viri	viris
	accedentes	accedentibus
71	ab... redundantia	ob redundantiam
74	organo	organa
76	excretus	ſecretus
78	vitreaeque	vitreaque
82	gravida	gravidae